Clementis III. c. *Ad aures*, Ext. *De iis, quæ vi, metuſve cauſſa fiunt*, cujus hæc ſunt verba. *Tuæ Diſcretioni præſentibus innoteſcat, quod renuntiatio facta ad terrorem Laicorum, (niſi forte juramento, vel fide interpoſita ſit confirmata,) non impedit, quominus is, qui renuntiavit Eccleſiæ, ad cujus regimen prius erat electus, præficiatur eidem.* Ex hac exceptione, *Niſi forte juramento*, Gloſſa colligit: *Ergo ſi juramentum intervenisſet, vel fides interpoſita fuiſſet, quod ulterius non repeteret; non poteſt eam repetere, juramento, vel fide obſtante, quod poteſt ſervari ſine interitu ſalutis æternæ.*

Sed & *Innoc. III.* de quodam Clerico interrogatus, qui cum Eccleſiam canonice adeptus fuiſſet, & aliquandiu pacifice poſſediſſet, *graviſſimo tandem Regis metu, quod eam reſignaret, jurare coactus*, etiam in eorum, ad quos pertinebat, manibus reſignavit. Reſpondit hunc in modum: *Quia vero, quæ vi, metuſve cauſſa fiunt, carere debent robore firmitatis: mandamus, quatenus ſi eundem ad Reſignationem conſtiterit vobis per talem metum fuiſſe coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in virum conſtantem; non obſtante juramento prædicto, quo non ad repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodo tenebatur, præfatam Eccleſiam ei reſtitui faciatis.* (Cap. *Ad audientiam*, Ext. *de iis, quæ vi, metuſve cauſſa fiunt.*)

Sed nihil luculentius ad hujus Regulæ confirmationem afferri poteſt iis, quæ *S. Auguſt.* de rebus Hippone circa *Pinianum* geſtis ad *Alypium* ſcripſit Ep. 125. alias 224. Cum *Hipponem* ad inviſendum *Auguſtinum* veniſset *Pinianus*, ibique rei ſacræ intereſſe, ſubito populi tumultu ad Sacerdotium poſtulatus fuit, nec evadere permiſſus, donec juraſſet non ſe Hippone diſceſſurum; & ſi quando conſenſum præberet, ut in Clerum cooptaretur, nonniſi in ipſa Hipponenſi Eccleſia Ordinationem ſuſcepturum. Conqueſti ſunt *Albina*, filiique ipſius, Hipponenſes pecuniæ cupiditate virum prædivitem vindicare ſibi ſategiſse, nullamque vim eſse juramenti, quod vi, metuque fuiſset extortum. His querelis reſpondens *S. Aug.* docet, qua religione ſit exſolvendum juramentum, etiamſi vi, & metu extortum fuiſset. *Si* (inquit) *certa mors intentaretur, ut aliquid illicitum, ac nefarium ſervus Dei ſe juraret eſſe facturum, mori malle, quam jurare debuerat, ne jurationem ſcelere impleret. Nunc vero cum tantummodo populi perſeverantiſſimus clamor, ad nullum nefas hominem cogeret, ſed ad id, quod ſi fieret, licite fieret; cumque metueretur quidem, ne aliqui perditi, qui multitudini etiam bonorum plerumque miſcentur, occaſione ſeditionis, & quaſi juſtæ indignationis inventa, in aliquam vim ſceleratam rapinarum cupiditate prorumperent, ſed tamen illud metuebatur eſſe incertum; quis cenſeat propter incerta non dico damna, & qualibet injurias corporales, ſed propter ipſam mortem cavendam, certum perjurium debere committi? Neſcio quis ille Regulus nihil in Scripturis Sanctis de impietate falſæ jurationis audierat, nihil de Zachariæ falce didicerat, & nimirum Carthaginenſibus non per ſacramenta Chriſti, ſed per Dæmonum inquinamenta juraverat: & tamen certiſſimos cruciatus, & horrendi exempli mortem, non ut juraret neceſſitate pertimuit, ſed libera voluntate quia juraverat, ne pejeraret, excepit. Et Romana tunc illa cenſura noluit habere, non in numero Sanctorum, ſed in numero Senatorum, nec in cœleſti gloria, ſed in terreſtri Curia, non ſolum eos, qui metu mortis, crudeliumque pœnarum apertiſſime pejerare, quam ad immanes hoſtes remeare maluerunt; ſed etiam illum, qui reatu perjurii ſe putaverat abſolutum, quia poſt jurationem ficta neſcio qua neceſſitate redierat. Ita non attenderunt, qui eum Senatu depulerunt, quid ipſe jurando cogitaſſet, ſed quid ab illo, quibus juraverat, exſpectaretur. Nec legerant, quod nos uſquequaque cantamus,* qui jurat proximo ſuo, & non decipit. *Solemus hæc, quamvis in hominibus a Chriſti gratia, & nomine alienis cum ingenti admiratione laudare; & adhuc in Libris Divinis inquirendum putamus, utrum aliquando licite pejeremus, ubi nobis, ne jurandi facilitate in perjurium prolabamur, etiam præceptum eſt, ne juremus.* Legatur & Epiſtola ejuſdem 126. alias 225. ad *Albinam* data.

Zachariæ v. ſecundum Verſionem 70. Interpretum. Ego video falcem volantem, &c. Omnis fur ex hoc uſque ad mortem punietur, & omnis perjurus ex hoc cruciabitur,

Pſ. 14.

Eandem Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 89. art. 7. in Reſponſione ad tertiam Objectionem: *In Juramento* (inquit) *quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit: & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ; quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare. Poteſt tamen repetere in judicio, quod ſolvit, vel Prælato denuntiare, non obſtante, quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, eſſet enim contra juſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujuſmodi juramentis homines abſolverunt, non quaſi decernentes hujuſmodi juramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi hujuſmodi obligationes ex juſta cauſſa relaxantes.* Idem docet *S. Raymundus*, in Summa Tit. *De Juramento; & perjurio.*

REGULA X.

Juramentum extortum dolo, vel errore, quæ cauſſa eſt promiſſionis, vel contractus, irritum eſt: ſi vero dolus non ſit cauſſa promiſſionis, vel contractus, firmum eſt juramenti vinculum.

De Juramento, & perjurio.

Nullum enim eſt juramenti vinculum, ubi nullus eſt conſenſus: at ubi dolus cauſsa eſt promiſſionis, vel contractus, nullus eſt conſenſus: ceſsante ſcilicet dolo ſe non obligaſſet, qui juravit. Sic mulier, quæ dolo fratrum circumventa renuntiavit hereditati paternæ, dotem longe excedenti, ceſſionemque confirmavit juramento, illius juramenti vinculo non ligatur, quia ceſsante dolo, nec ceſſiſset, nec juraſset. Ita cenſet *S. Antoninus* P. 2. Tit. 10. c. 6. Idque confirmat ex *Innoc. III.* c. *Cum contingat*, Extr. *De Jurejurando*, ubi reſpondet, Mulieres non audiendas in judicio contra alienationem rei dotalis, cui ſponte conſenſerant, & ne ulterius contravenirent, proprio ſacramento firmaverunt. *Nos*, inquit, *Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod etſi mulierum conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundum legitimas Sanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipſæ ſervare debent hujuſmodi juramenta, ſive vi, & dolo ſponte præſtita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec obſervata vergant in diſpendium ſalutis æternæ.* Ex quo recte colligitur a contrario, ſi hujuſmodi juramenta vi, & dolo ita extorta fuerint, ut præſtita non fuiſsent vi, & dolo ceſsantibus, mulieres illorum vinculo non ligari: ſicut nec illorum, quæ in alterius damnum redundant, aut obſervata vergunt in diſpendium ſalutis æternæ. Id confirmatur ex c. *Licet*, eodem Tit. in Sexto. *In his tamen caſibus tutius erit, ſi petatur abſolutio, ut ſentiunt multi Doctores*; (inquit *S. Antoninus*.) Jurijurando ſcilicet etiam dolo extorto reverentiam religioſas mentes habere decet, ut probat exemplum Joſue, & Principum Iſrael, qui Gabaonitarum, de terra longinqua ſe venire ſimulantium, dolo circumventi, pacem ipſis, & incolumitatem jurarunt. Compertoque paullo poſt dolo, qui cauſsa fuerat conceſsæ pacis, & fœderis juramento firmati, cum in civitates eorum veniſsent, *Non percuſſerunt eos, eo quod juraſſent eis Principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael.* Hanc ob cauſsam vulgus contra Principes Iſrael murmuravit, & oblocutum eſt. *Qui reſponderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis: Reſerventur quidem, ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pejeraverimus; ſed ſic vivant, ut in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent.*

De Juramentis dolo, vel errore extortis.

Joſue 2.

REGULA XI.

Lethalis perjurii reus eſt, quicumque doloſe jurat, jurisjurandi verba proferens abſque animo jurandi, aut fidem ſuam obligandi. Qui Reſtrictiones mentales, & æquivocationes jurando adhibent, lethale perjurium committunt.

De Juramento, & perjurio.

Perjurium eſt mendacium juramento firmatum: illos vero mentiri compertum eſt, qui juramenti verba proferunt, & jurare, vel obligare ſe nolunt, aut qui Reſtrictiones mentales, & æquivocationem jurando adhibent: ſiquidem verbis ſignificant, quod in mente non habent, contra finem propter quem inſtitutæ ſunt voces, ut videlicet ſint ſigna conceptuum; vel aliud volunt, quam verba ſignificent ſecundum ſe, & ſecundum communem loquendi morem, & perſonarum, ac negotiorum circumſtantias: atque ita verbis ad ſocietatem fovendam inſtitutis abutuntur. Quod Dei verbo prohiberi quis dubitet, dicente Propheta, Pſ. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? ... Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua ... Qui jurat proximo ſuo, & non decipit.* Et Pſ. 23. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.* In montem igitur Domini non aſcendent, nec ſtabunt in loco ſancto ejus, ideſt, ab æterna beatitudine repellentur, qui doloſis juramentis proximum ſuum decipiunt. Ille porro *In dolo jurat, qui aliter facturus eſt, quam promittit, cum perjurium ſit nequiter decipere credentem*: ut habetur Canone *In dolo*, Cauſsa 22. quæſt. 2.

Præterea, *Qui ſophiſtice loquitur, odibilis eſt*, (inquit Siracides *Eccleſ.* 38.) Multo magis, qui ſophiſticam locutionem, & ad decipiendum compoſitam jurejurando confirmat. *Juſta, & digna præſcriptio eſt in omni quæſtione, ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſenſum reſponſionis. Ceterum aliud conſulenti aliud reſpondere, dementis eſt*; ait Tertull. Lib. 4. *Contra Marcionem*, cap. 38.

Eandem Regulam confirmat *S. Aug.* Epiſt. 125. alias 224. ad *Alypium* data. *Illud ſane*, inquit, *rectiſſime dici non ambigo non ſecundum verba jurantis, ſed ſecundum exſpectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri. Nam verba difficillime comprehendunt, maxime breviter, ſententiam, cujus a jurante fides exigitur. Unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, exſpectationem eorum, quibus*

juratum eſt, deceperunt: & perjuri non ſunt, qui etiam verbis non ſervatis, illud, quod ab eis, cum jurarent, exſpectatum eſt, impleverunt. Proinde quia Hipponenſes Sanctum Pinianum non ſicut damnatum, ſed ſicut cariſſimum inhabitatorem ſuæ civitatis habere voluerunt, etſi verbis ejus non ſatis comprehendi potuit, uſque adeo tamen in promptu eſt quid ab illo exſpectaverint, ut, quod nunc per jurationem abſens eſt, neminem moveat eorum, qui audire potuerunt, certa eum cauſſa profecturum eſſe, cum voluntate redeundi. Ac per hoc perjurus nec erit, nec ab eis putabitur, niſi eorum exſpectationem deceperit. Non autem decipit, niſi aut voluntatem mutaverit apud eos habitandi, aut aliquando diſceſſerit ſine diſpoſitione redeundi. Quod abſit ab ejus moribus, & fide, quam Chriſto, & Eccleſiæ debitam ſervat. Nam ut omittam, quod mecum noſti, quam ſit tremendum de perjurio divinum judicium: illud certe ſcio, nulli nos deinceps ſuccenſere debere, qui nobis jurantibus non crediderit, ſi talis viri perjurium non modo æquo animo ferendum, verum etiam defendendum putabimus. Quod & a nobis, & ab illo avertat illius miſericordia, qui eruit a tentatione ſperantes in ſe. Sicut ergo in Commonitorio reſcripſiſti, impleat promiſſum, quo ita ſe promiſit ab Hippone non receſſurum, quemadmodum ego, vel ipſi Hipponenſes non recedimus, quibus tamen & abeundi, & redeundi facultas eſt libera: niſi quod his, qui juratione non detinentur, etiam omnino & migrandi, & non redeundi ſine perjurii reatu poteſtas eſt.

Et Epiſtola 126. alias 225. *Exſpectationem eorum, quibus juratur, quiſquis deceperit, non poteſt eſſe non perjurus.*

Idem Libro *Contra Mendacium*, cap. 18. artem diabolicam excuſandi perjuria adhibito reſtrictionum mentalium uſu graviſſimis verbis inſectatur. *Et ſunt in eis docti*, inquit, *qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi eſtis fontes lacrymarum? Et quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere perjuria?*

Idem confirmat *S. Proſper*, cujus præclaros Verſus *Hincmarus* Archiepiſcopus Rhemenſis refert Libro *De Divortio Lotharii, & Tetbergæ.*

> *At ſi jurandi te cauſſa perurget, & arctat,*
> *Id puris verbis, id gere mente pia.*
> *Nec verbi arte putes te fallere poſſe Tonantem,*
> *Cui nihil abſtruſum eſt, cui tua corda patent.*
> *Qui non ut juras, ſed ut is juraſſe putavit*
> *Cui juras, audit, ſicque es utrique reus.*
> *Nempe Deo, in vanum cujus vis ſumere Nomen,*
> *Seu ſocio, quem atra fallere fraude paras.*

Idem docet *S. Iſidorus Hiſpalenſis*, Lib. 2. *Sententiarum*, c. 31. *Quacunque*, inquit, *arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Refertur Canone *Quacumque arte*, cauſſa 22. qu. 5.

Id argumentum tractat *Hincmarus* in Opuſculo *De vitiis cavendis, & virtutibus exercendis*, ad *Carolum Calvum* Regem Chriſtianiſſimum, cap. 5. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui arte per dolum jurantes, ut decipiant eum erga quem jurant, non ſe putant reos eſſe perjurii, contradicente Dei Spiritu per Prophetam*, Quis aſcendet in montem Domini, & ſtabit in loco ſancto ejus? Qui non juravit in dolo proximo ſuo. *Per dolum itaque jurat, quiſquis aliter facturus eſt, quam promittit, credens perjurium non eſſe decepiſſe nequiter credentis errorem. Jurare enim dictum eſt, quaſi jure orare, ideſt, juſte loqui. Tunc enim quiſpiam juſte loquitur, quando ea, quæ promittit, implentur. Multi enim ſunt, qui doloſe jurant, ut decipiant proximum: quod abominatur Pater luminum Dominus, dicente Petro*, Non es mentitus hominibus, ſed Deo. *Qua in re hoc quoque oportet intendi; quod mendaces fabricatores mendacii dicuntur. Sicut enim ædificium lapidibus, ita mendacium ſermonibus fabricatur. Ubi enim non doloſa locutio, ſed ſenſus eſt veritatis, quaſi munita moles non ex fabrica, ſed ex natura conſurgit. Unde ſcriptum eſt*: Qui loquitur veritatem in corde ſuo, & non egit dolum in lingua ſua.

Pſalm. 23.

Act. 5.

Et paullo poſt obſervat, Prophetam conjunxiſſe virum doloſum cum homicidia, Pſal. 5. *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus.* Pertimeſcere igitur debent jurantes (inquit) *immo perjurantes doloſi in nomine Chriſti, & Sanctorum ejus, quia abominabuntur a Domino, ut viri ſanguinum, ideſt, qui humano cruore polluantur: quoniam ſicut illi occidunt, ita & iſti decipiunt viventes.*

De Juramento, & perjurio.

Conc. Troslejanum anno Chriſti nongenteſimo nono, Can. 11. mentalium reſtrictionum uſum in juramentis damnat: *Quid vero*, inquit, *de his dicendum eſt, qui, ut alios fallant, mentiuntur, vel quacumque verborum arte ſe potius, quam alium decipiendo pejerant. Dominus namque qui teſtis eſt conſcientiæ, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit... Hi miſeri heu! quantis rei tenentur criminibus, prævaricatores totius Sacræ Legis veteris, & novæ proditi, quia loquuntur mendacium, quia aſſumunt nomen Dei ſui in vanum, quia proximum dolo capiunt, inſuper & perjurant. Tales niſi condignam egerint Pœnitentiam, adhuc in vivis corporibus mortuas geſtare videntur miſeras animas.*

Suffragatur eidem Moralis Chriſtianæ dogmati *S. Th.* 2. 2. q. 89. art. 7. in Reſponſione ad quartam objectionem: *Quando*, inquit, *non eſt eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, ſi hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari ſecundum ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur. Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem jurantis.* Unde *S. Greg.* Lib. 26. *Moralium*, c. 7. ait: *Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant: Divina vero judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero penſantur ex corde.*

Quamobrem *Innoc. XI.* Pontifex Maximus has Propoſitiones merito damnavit die 2. Martii 1679.

Propoſitiones damnatæ.

Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

Cum cauſſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

Eaſdem Propoſitiones confixit Clerus Gallicanus in generalibus Comitiis anni 1700. Prima quidem hac Cenſura: *Hæc Propoſitio ſcandaloſa eſt, pernicioſa, patrocinatur humanæ ambitioni, perjuria excuſat, publicæ poteſtati contra Dei mandatum adverſatur.*

Alteram hunc in modum damnavit: *Hæc Propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, illuſoria, erronea, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperit, & Sacris Scripturis adverſatur.*

Tertiam judicavit, *temerariam, ſcandaloſam, pernicioſam, bonæ fidei illudentem, & Decalogo contrariam.*

REGULA XII.

Hoſtes etiam publicos doloſo juramento, & mentali reſtrictione vel æquivocatione fucato, fallere non licet. Qui id fecerit, vel tentaverit, lethalis perjurii reus eſt.

Hanc Regulam iiſdem fundamentis innixam, quibus præcedens, confirmat *Ferrandus* Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus in Parænetico ad *Reginum* Comitem. *In hoc*, inquit, *maxime agnoſceris humanis divina præponere, quando nulli fallaciter juras, nec ſubdolo ſacramento decipis aliquem. Licet hoſtis ſit antiquus, licet immania Reipublicæ vulnera inflixerit viſceribus, non videtur falſa juratione fallendus; etiamſi vita ejus impediat, mors proficiat paci, ne ſic quidem, Dux optime, compellaris falſum jurare. Sic uni homini, ſic populo, ſic plurimis gentibus; cum quibus bella gerenda ſuſceperis, aut ſine juramento perſeverans, aſſume certamen; aut nullatenus audeas violati ſacramenti facinore perpetrato, Rempublicam liberare, vel adjuvare. Quid enim prodeſt ei vincere, quem Diabolus vicit, ut victoriæ ſpe falſum juraret? ... Nemo autem putet, hoſtem, cui jurat, non debere proximum reputari: propter hoc enim juratur, ut proximus reputetur. Ex quo igitur vult amicus effici, legemque pacis amplectitur, jam proximus eſt: & jam, qui ei fideliter jurat, proximo ſuo jurat, & non decipit ... Peſſimum nefas falſa juratio, & ſi paullo altius conſideres, inutilis ſemper, maxime exercitum gubernantibus. Mutabilia enim juvenum corda ſacramenti vinculo frequenter ligantur, ut fide ſtabili bella ſuſcipiant: & tunc firma fit ſecuritas Ducibus, ſi Religionis timor jurare falſum non ſinat Milites. Quam grave itaque, & quam pernicioſum, ut videant, vel ſentiant ſolvi facile ſacramentum, Ducisque ſui invitentur exemplo, leve æſtimare perjurium? Quicquid proinde juramento gratiam, ſive veniam reo, ſive laborantibus tecum præmia pollicearis, & hoc adhibita invocatione Nominis Dei, credibile facias operando, nullius utilitatis conſideratione, nullius periculi formidine debes irritum facere. Fixus ſit, & immutabilis ſermo, cujus fidei eſt adhibitus Deus.*

De Juramento, & perjurio.

REGULA XIII.

Nec pro vita propria, vel alterius conſervatione, nec in favorem fidei commiſſum perjurium a lethalis peccati labe immune eſt.

Hæc Regula Concilii Conſtantienſis, & *Martini V.* Pontificis Maximi auctoritate firmata eſt. Illos enim omnes, qui in ſuſpicionem errorum *Joannis Vuiclef*, & *Joannis Hus* venerint, inter alia interrogari jubet; *Utrum credant, quod perjurium ſcienter commiſſum, ex quacunque cauſſa, vel occaſione, pro conſervatione vitæ corporalis propriæ, vel alterius, etiam in favorem fidei, ſit mortale peccatum.*

Eandem Regulam confirmat Venerabilis *Gerſonius* in Tract. *De Erroribus circa fidem, & contra præceptum*, Non occides. *Litteralis intellectus* (inquit) *planus apud omnes, iſtius præ-*

præcepti, Non Perjurabis, *eſt. Omne juramentum deliberate, & licite factum tenendum eſt, etiam uſque ad præjudicium mortis temporalis: quoniam plus tenetur obſervare fidem ſuam, quæ eſt quædam integritas, & virginitas animæ, quam corpus proprium, vel alienum: & eſt ordo rectus caritatis.*

Robertus Pullus S. R. E. Cardinalis P. 6. *Sententiarum*, c. 53. Reum vitam ſuam perjurio redimere non poſſe docet. *Nihil ergo*, inquit, *aliud Reo conſulendum, niſi ut abhorrens perjurium, pœnam potius a Judice temporali temporalem ſuſcipiat, quam ea paulliſper dilata, ab Æterno mereatur æternam, ſciens, quod non judicabit Deus bis in idipſum. Quippe qui inſpiciens anteactam vitam ſuam, corde conteritur, & humiliatur, is ſi pœnam qualibet pro culpa ſibi oblatam patienter ſuſcipit, futuram eandem de culpa effugit.*

R E G U L A XIV.

Quamvis per falſos Deos jurare ſit impium, reus tamen eſt perjurii, qui tale juramentum non ſervat.

De Juramento, & perjurio. Nititur hæc Regula Scripturæ Sacræ Oraculo, *Sapientiæ* c. 14. *Infandorum Idolorum cultura* (inquit) *omnis mali cauſſa eſt, & initium, & finis. Aut enim, dum lætantur, inſaniunt; aut certe vaticinantur falſa; aut vivunt injuſte, aut pejerant cito. Dum enim confidunt in Idolis, quæ ſine anima ſunt, male jurantes nocere ſe non ſperant. Utraque ergo illis evenient digne, quoniam male ſenſerunt de Deo attendentes Idolis, & juraverunt injuſte, in dolo contemnentes juſtitiam; non enim juratorum virtus*, (ideſt; potentia falſorum Deorum, per quos juratur,) *ſed peccantium pœna perambulat ſuper injuſtorum prævaricationem.*

Hanc Regulam confirmat *S. Aug.* Serm. 180. alias 28. *De Verbis Apoſtoli*, cap. 12. (inquit) *dico caritati veſtræ, & qui per lapidem falſum jurat, perjurus eſt. Unde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant, quia nihil eſt, per quod jurant, non ſe crimine teneri perjurii. Prorſus perjurus es, quia per id, quod ſanctum putas, falſum juras. Sed ego illud ſanctum non puto. Sanctum putat, cui juras. Non enim quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, ſed proximo juras. Homini juras ante lapidem: ſed nunquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem; ſed punit te Deus fallentem.*

Et Epiſt. 47. alias 154. ad *Publicolam* data: *Te volo conſiderare* (inquit) *utrum ſi quiſpiam per Deos falſos juraverit ſe fidem ſervaturum, & eam non ſervaverit, non tibi videatur bis peccaſſe? Si enim tali juratione promiſſam cuſtodiret fidem, ideo tantum peccaſſe judicaretur, quia per tales Deos juravit: illud autem nemo recte reprehenderet, quia fidem ſervavit. Nunc vero, quia & juravit per quos debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis utique peccavit.*

Idem confirmat *S. Raymundus*. Lib. 1. pag. 86. col. 2.

R E G U L A XV.

Suſcipere poteſt Chriſtianus juramentum illius, qui per falſos Deos juraturus eſt, eoque uti, immo & jusjurandum ab eo exigere, quem ita juraturum non dubitat.

Cum enim urget neceſſitas, ſeu cauſſa juſta, & legitima poſtulat, hoc ab aliquo exigere licet, quod per ſe malum non eſt, & quod bene facere poteſt, ſi velit; at juſtæ, & neceſſariæ cauſſæ occurrere, & urgere poſſunt, propter quas jusjurandum exigere liceat ab eo, qui per falſos Deos noſcitur juraturus, ſi nempe publica pax, vel magni momenti contractus aliter firmari non poſſit: cum ergo jusjurandum per ſe malum non ſit, & bene fieri poſſit, videlicet per Deum verum, licet ab eo juramentum exigere, qui noſcitur per falſos Deos juraturus. Non enim invitatur ad crimen, quia non compellitur ad jurandum per falſos Deos, ſed ad jurandum ſimpliciter: nec ei datur occaſio peccandi, quia ſic jurare paratus eſt: ſicut non ſubminiſtrat occaſionem peccandi uſurario, qui ſolvit uſuras, ut pignus ſuum recipiat, & qui latroni pecuniam ſuam coactus tradit.

De Juramento, & perjurio. Verum (inquies) exigere non licet juramentum ab eo, quod pejeraturum eſſe novimus: non licet itaque juramentum exigere ab eo, qui per falſos Deos eſt juraturus. Par enim utrobique ratio videtur.

Reſpondetur, longe diſparem eſſe rationem. Cum enim juramentum exigitur ab eo, qui per falſos Deos eſt juraturus, haberi poteſt bonum fidei, ſeu fidelitatis; ipſeque finis, propter quem juramentum inſtitutum eſt, ſcilicet confirmatio veritatis, ac proinde juramento illius Vir Chriſtianus juſtis de cauſſis uti poteſt. Et cum ab eo, quem novit pejeraturum, nihilominus jusjurandum exigit, non poteſt haberi finis juramenti, neque aliquod bonum inde exſpectari poteſt, propter quod alterius mala voluntate uti liceat. Ita reſpondet *S. Th.* 2. 2. qu. 97. art. 4. in Reſponſ. ad quartam Objectionem.

Hanc Regulam confirmat *S. Aug.* Epiſtola ad *Publicolam*, ſuperius laudata. *Qui*, inquit, *utitur fide illius, quem conſtat juraſſe per Deos falſos, & utitur non ad malum, ſed ad licitum, & bonum, non peccato ejus ſe ſociat, quo per Dæmonia juravit, ſed bono pacto ejus, quo fidem ſervavit. Neque hic eam fidem dico ſervari, qua fideles vocantur, qui baptizantur in Chriſto. Illa enim longe alia eſt, longeque diſcreta a fide humanorum placitorum, atque pactorum. Verumtamen ſine ulla dubitatione minus malum eſt per Deum falſum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quanto enim per quod juratur magis eſt ſanctum, tanto magis eſt pœnale perjurium.*

R E G U L A XVI.

Reus non eſt perjurii, qui ob juſtam, & legitimam cauſſam juramentum non implet.

Hanc Regulam explicat *S. Raymundus*, Lib. 2. Tit. *De Juramento, & Perjurio*, his verbis: *Non intelligitur pejerare, qui ex licita cauſſa deſerit juramentum. Verbi gr. promiſimus & firmavimus nobis invicem fidem, & pacem; fregiſti mihi, non teneor poſtea ſervare tibi.* Id confirmat ex c. *Pervenit* 2. Ext. *De Jurejurando*, quod *S. Gregorio* tribuitur: *Nec tu ei, etiamſi promiſſum tuum juramento, vel fidei obligatione, interpoſita conditione firmaſſes, aliquatenus teneris, ſi conſtat eum conditioni minime paruiſſe.* Et ex c. *Sicut*, 3. eod. Tit. quod *Innocentii III.* Reſponſum eſt: *Juramentum autem*, inquit, *quod J. ſe aſſerit præſtitiſſe, ſi de aſſenſu factum eſt utriuſque, eum non ligat, qui præſtitit, dum ille, cui præſtitum fuerat, ſervare negligit, quod promiſit.* Nec obſtat Canon *Noli*, cauſſa 23. q. 1. ubi ex *S. Auguſtini* Epiſtola ad *Bonifacium* Comitem dicitur, *Fides hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur, quanto magis amico, pro quo pugnatur?* Intelligitur enim fidem hoſti ſervandam, cum ipſe *ſervat fidem*; ut interpretatur *S. Raymundus*. Subdit idem Sanctus Pœnitentiarius: *Item depoſuiſti penes me gladium, juravi, quod reſtituerem, quando repeteres; factus poſtea furioſus repetis: non teneor, immo nec debeo reddere gladium, niſi reſtituta tibi ſanitate, ne forte occidas te, vel alium*, 22. qu. 2. Ne quis. *Item generaliter tibi juravi, quod ſtarem omnibus mandatis tuis propter injuriam, quam tibi feceram: tu præcipis mihi aliquid inhoneſtum, vel importabile, vel adeo durum, vel aſperum, quod ſi mihi fuiſſet ſpecificatum, nullo modo illud juraſſem: talia enim ſemper tacite ſubintelliguntur in generalibus juramentis*; ut colligitur ex c. *Veniens*, & c. *Quintavallis*, Ext. *de Jurejurando*. Et ex c. *Ad noſtram*, 3. ſub eod. Tit. ubi *Innoc. III.* reſpondet Neapolitano Archiepiſcopo, qui quaſi per extorſionem juraverat, ſe in omni cauſſa judiciarium ordinem obſervaturum, illum obſervare non teneri in notoriis, in quibus ſubtilitatem ordinis judiciarii non ſervari ipſa ratio Juris poſtulat. *Quamquam*, inquit, *& ſecundum approbatum intellectum recte poſſit intelligi, quod juraſti, ut in omnibus cauſſis ordinem judiciarium obſervares, in illis videlicet, in quibus eſt ordo judiciarius obſervandus. Sic ergo faciens & juramenti tenorem, & inſtituta Canonica non omittes.* Debent tamen, qui hujuſmodi juramentis obſtricti ſunt, relaxationem juramenti petere ab Eccleſia *Ad cautelam, & ne detur eis occaſio pejerandi*, (inquit *S. Raymund.*) De Juramento, & perjurio.

R E G U L A XVII.

Jusjurandum, quo quis jurat ſe ſervaturum ſtatuta alicujus Capituli, Univerſitatis, Collegii, aut Societatis cujuslibet, intelligendum eſt duntaxat de Statutis honeſtis, licitis, quæ contraria conſuetudine minime ſunt abrogata, & de iis, quæ condita ſunt, non de illis, quæ in futurum condentur: niſi forma juramenti id exprimat, vel jurans id intendat.

Juramentum enim ſtrictiſſimi Juris, & interpretationis eſt, tum ob perjurii periculum, tum ob detrimentum quod inde ſequi poteſt: ideoque non debet latius porrigi ejus obligatio, quam verba ſignificent.

Hanc Regulam *S. Th.* approbat, 2. 2. q. 98. art. 2. in Reſponſione ad quartam objectionem. *Juramentum*, inquit, *eſt actio perſonalis.* Ideo *Ille, qui de novo fit civis alicujus civitatis non obligatur quaſi juramento, ad ſervanda illa, quæ civitas ſe ſervaturam juravit: tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut ſicut ſocius bonorum civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus vero, qui jurat ſe ſervaturum Statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad ſervandum futura, niſi intenderit ſe obligare ad omnia Statuta præterita, & futura: tenetur tamen ea ſervare ex ipſa vi Statutorum, quæ habent coactivam virtutem.* Idem docet *S. Raymundus* lib. 1. tit. *De Juramento, & Perjurio*, pag. 93. col. 2. Idque confirmat ex c. *Clericus*, Ext. *De Jurejurando*, quod *Greg. IX.* Reſponſum eſt, his verbis conceptum: *Clericus, qui juravit ſe Statuta in Eccleſia ſua edita ſervaturum, promittens per idem juramentum, Statutum, quod poſtmodum ſubſecutum eſt, fideliter obſervare: licet tranſgredi non debuerat, quod promiſit, non tenetur ad illius obſervantiam ex debito præſtiti juramenti.* Eandem Regulam confirmat Venerabilis *Gerſonius* Libro *de Vita Spirituali Animæ*, Lectione 4. & Lectione 6.

R E-

R E G U L A XVIII.

Juramentum præſtitum contra Jus Superioris, irritum eſt.

De Jurejurando. Id conſtat ex cap. *Venientes*, Ext. *De Jurejurando*, quod *Innocentii III.* Reſponſum eſt, declarantis, Conſules, qui jurarunt intra certum tempus Sententias exequi, ab illarum executione ſuperſedere debere non obſtante juramento, ſi Appellatione ſint ſuſpenſæ, præſertim ad Sedem Apoſtolicam interjecta. *Mandamus*, inquit *quatenus Appellationibus ad nos interpoſitis deferatis; cum prædictum juramentum vos excuſare non poſſit, in quo debet intelligi jus Superioris exceptum. Cum ergo poſtquam lator præſentium ad Sedem Apoſtolicam a Sententia Judicis appellavit, Sententiam ipſam duxeritis executioni mandandam; in poſſeſſionem rerum, de quibus quæſtio vertebatur, appellantis adverſarium inducentes, volumus, & mandamus, ut poſſeſſionem ipſam reſtituatis eidem: alioquin noveritis, Nos Epiſcopo Nucerino mandaſſe, ut vos ad id Eccleſiaſtica Cenſura compellat.*

R E G U L A XIX.

Juramenta contra utilitatem Eccleſiæ præſtita nullius ſunt roboris.

Hæc Regula nititur ejuſdem Pontificis Reſponſo, cap. *Sicut noſtris*, Ext. *De Jurejurando*. Vacante Eccleſia Tudertina, Canonici, antequam de Epiſcopi electione ageretur, pactiones quaſdam in damnum Jurium Epiſcopalium fecerunt, & juramento firmarunt. Poſtmodum unus ex illis in Epiſcopum electus, & conſecratus, a Pontifice quæſivit, num hujuſmodi juramenta ſervare tenerentur: Summus Pontifex, impoſita Epiſcopo Pœnitentia congruente pro juratione incauta, hunc in modum reſpondit: *Quia non juramenta, ſed perjuria potius ſunt dicenda, quæ contra Utilitatem Eccleſiaſticam attentantur, mandamus, quatenus ab ipſis Canonicis inquiras ſuper præmiſſis diligentius veritatem: & ſi ea inveneris eſſe vera, quod in damnum Epiſcopalis Juris repereris taliter attentatum, in ſtatum debitum, appellatione remota, reducas.*

R E G U L A XX.

Qui doctrinam alicujus experimenti, ſive ſalubris, & ſingularis remedii accepit, ac interpoſito Jurejurando promiſit id ſe nemini communicaturum, Juramentum iſtud ſervare non ſemper tenetur, ſed in certis duntaxat rerum circumſtantiis.

Hanc Regulam explicat *S. Th.* Quodlibeto 12. qu. 14. art. 2. *Simpliciter loquendo*, inquit, *non tenetur, ſed male fecit jurando. Juramentum enim non ſolum amittit vim, quando eſt illicitum, ſed etiam quando jurando pejeratur; quia juramentum obligans debet habere judicium, juſtitiam, & veritatem. Sed etſi juro quandoque aliquid, quod licet mihi non facere (puta, non ire ad Eccleſiam) non licet tamen jurare; quia mihi licitum ſi pro aliquo tempore facere, vel dimittere hujuſmodi bonum, quod eſt ad Eccleſiam ire, non tamen licet mihi juramentum interponere, & animum obfirmare ad aliquod bonum non faciendum; quia hoc eſt facere contra Spiritum Sanctum. Et ideo juramentum contra omne id, quod eſt de genere bonorum, eſt illicitum, & non ſervandum.* Cum itaque ſalubris remedii communicatio non minimum bonum ſit; jusjurandum, quo ſe aliquis adſtringit, ut nuſquam illud communicet, *eſt contra caritatem.* Id *tamen in caſu ſervare tenetur; puta, ſi ille, vel alius ſufficiens Medicus præſens eſſet, & paratus eſſet curare, & uti illo experimento in ſalutem corporalem aliorum.* De Jurejurando.

R E G U L A XXI.

Lethalis peccati reus eſt, qui pro ſeipſo Juramentum exigit, vel recipit ab eo, quem perjuraturum eſſe novit, aut merito ſuſpicatur.

Ita docet *S. Aug.* Serm. 180. alias 28. *De Verbis Apoſtoli*, c. 10. *Et ipſe*, inquit, *qui exigit jurationem, multum intereſt, ſi neſcit illum falſum juraturum, an ſcit. Si enim neſcit, & ideo dicit, Jura mihi, ut fides ei fiat; non audeo dicere, non eſſe peccatum, tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit eum feciſſe, novit feciſſe, vidit feciſſe, & cogit jurare, homicida eſt. Ille enim ſuo perjurio ſe peremit: ſed iſte manum interficientis & expreſſit, & preſſit.* Fruſtra vero quis reſpondeat, eum, qui pejerare paratus eſt, jam ſe peremiſſe, prius quam reipſa pejeret. Nam pejerandi voluntatem ſæpe non habent homines, ſed eam concipiunt interim dum urgentur ad jurandum. Et quamvis haberent, talis tamen juramenti exactor, vel receptor cauſſa eſt, ut ipſo externo opere perjurii nomen Dei polluatur.

Id confirmat *S. Aug.* Serm. 308. alias 11. ex additis a Pariſienſibus, qui eſt ſecundus in Decollatione S. Joannis Baptiſtæ cap. 4. *Ille*, inquit, *qui hominem provocavit ad jurationem, & ſcit eum falſum juraturum, vincit homicidam: Quia homicida corpus occiſurus eſt; ille animam; immo duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & ſuam. Scis verum eſſe quod dicis, & falſum eſſe quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit: tu quid inveniſti? Immo & tu periiſti, qui de illius morte te ſatiare voluiſti.* Narrat ſubinde Civis cujuſdam Hipponenſis hiſtoriam, ob hoc peccatum divina correptione flagellati. *Fuit hic homo quidam ſimplex, innocens, bene fidelis a multis veſtris, ideſt, Hipponenſibus, immo ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutuslymeni quis veſtrum non novit, qui cives eſtis? Ab illo audivi, quod dico. Neſcio quis negavit ei, vel quod commodaverat, vel quod ei debebatur; & hominis fidei ſe commiſit. Commotus provocavit eum ad jusjurandum. Juravit ille, iſte perdidit: ſed iſto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iſte Tutuslymeni homo gravis, & fidelis, ipſa nocte exhibitum ſe fuiſſe ad Judicem, & cum magno impetu, atque terrore ſe perveniſſe ad Præſidentem excelſum quendam, & admirabilem virum, cui parebat Officium ſimiliter excelſorum, juſſum fuiſſe perturbatum retro revocari, & interrogatum fuiſſe his verbis: Quare provocaſti hominem ad jurationem, quem ſciebas falſum eſſe juraturum? Reſpondit ille, Negavit mihi rem meam. Reſponſum eſt illi, Et nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis iſtius falſa juratione perimere? Proſtratus juſſus eſt cædi. Caſus eſt tam graviter, ut in dorſo evigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed dictum eſt illi, poſtquam emendatus eſt; Parcitur innocentiæ tuæ; de cetero cave, ne facias. Fecit quidem ille grave peccatum, & emendatus eſt; ſed multo gravius peccatum faciet, qui poſt iſtum meum ſermonem, & iſtam meam admonitionem, & exhortationem tale aliquid fecerit.*

De Jurejurando. Eandem Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 98. art. 4. Idem docet *S. Raymundus* Lib. 1. Tit. *De Juramento, & Perjurio*, p. 89. col. 1. idque probat ex Can. *Ille, qui*, & Can. *Qui exigit*, Cauſſa 22. q. 5. qui ex *S. Auguſtini* Sermonibus mox laudatis deprompti ſunt, necnon ex Canone *Si quis pejeraverit*, qui *Gelaſio* Papæ tribuitur, cujus hæc ſunt verba: *Si quis pejeraverit, & alios ſciens in perjurium duxerit, quadraginta dies pœniteat in pane, & aqua, & ſeptem ſequentes annos, & nunquam ſit ſine Pœnitentia: & alii, ſi conſcii fuerint, ſimiliter pœniteant.*

R E G U L A XXII.

Judici licet exigere Jusjurandum ſecundum ordinem Juris; ad petitionem alterius ab eo, quem pejeraturum eſſe novit, vel merito ſuſpicatur.

Ita docet *S. Th.* 2. 2. q. 98. art. 4. *Si aliquis* (inquit) *exigat juramentum tamquam perſona publica, ſecundum quod exigit ordo juris ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpa, ſi ipſe juramentum exigat, ſive ſciat eum falſum jurare, ſive verum: quia non videtur ille exigere, ſed ille, ad cujus inſtantiam exigit.* Debet tamen ſerio admonere juraturum religionis jurisjurandi, & actorem urgere, ut illud remittat. Explorare etiam par eſt, an credat actor illum eſſe perjuraturum: tunc enim licere non videtur Judici jusjurandum exigere ad petitionem ipſius, quam non eſſe juſtam, ſed divinæ Majeſtati injurioſam, evidens eſt. Si autem actor exiſtimet alium non eſſe pejeraturum, & Judicem urgeat, ut ab eo exigat jusjurandum, exigere illud poteſt abſque peccato, modo cauſſa civilis ſit, non criminalis, in quo juramentum a reo exigi non poteſt, ſi accuſator in probatione deficiat, ſed iſte pœnam talionis luere debet, ſecundum Canonem, *Qui crimen*, Cauſſa 2. q. 8.

Addit *S. Raymundus*, in Cauſſis criminalibus, ubi Judex teſtes animadvertit ad falſum teſtimonium ferendum contra reum, & ad pejerandum paratos, niti illum debere ex officio, etiamſi reus taceat, ad repellendos illos a teſtimonio ferendo, vel quia ſunt ignoti, vel infames, vel gravis opinionis; vel opponendo eis ſimilem cauſſam, ut colligitur ex Canone *Quærendum*, cauſſa 2. qu. 7. Si vero non prævideat, quid ſint reſponſuri, juramentum eorum recipere poteſt: & ſi narratione facti eos cognoverit a vero deviare, omnem adhibere debet operam, ac diligentiam in examine, ut cauſſam inveniat eos repellendi, ut fecit *Daniel* in cauſſa *Suſannæ*: ſi autem nulla ratione repellere illos poteſt, judicare licet ſecundum allegata, & probata, contra privatam ſcientiam, ut *S. Thomæ*, & pleriſque Theologis, & Juris Canonici Doctoribus placet. Conſultius tamen cauſſam delegabit alteri, ſi fieri poteſt; ſin autem, remittet ad Superiorem; ut *S. Raymundus* auctor eſt.

Quæcunque vero cauſſa agatur, juramentum ab utraque parte exigere Judici non licet, ut conſtat ex Concilio Valentino III. anno 455. Can. 11. cujus hæc ſunt verba: *Quia impia, & Deo inimica, & Chriſtianæ Religioni nimis contraria, ex iniquiſſima, ac deteſtabili Conſtitutione quarumdam Sæcularium Legum conſuetudo invaluit, ut in forenſi Judicio litigantes ex utraque parte contendentium æqualiter juramentum dare cogantur, ubi ſine dubio duobus contra ſe jurantibus unus perjurus efficitur: tanti ſceleris immanitatem; & animarum perditionem dolentes, ſtatuimus, ut quicunque uno juramento legitime dato, quod ſecundum Legem divinam omnis humanæ*

controverſiæ finis eſſe debet, alterum e contrario juramentum opponere præſumpſerit, ab ipſis liminibus Eccleſiæ, quæ ſua impietate profanavit, excluſus, omnium Chriſtianorum conſortio, atque convivio reddatur extraneus; niſi ſe continuo admonitus ad agendam Pœnitentiam tanti reatus humili ſatisfactione inclinaverit.

REGULA XXIII.

In Juramento diſpenſari poteſt.

Cum enim in voto diſpenſari poſſit, cujus ſtrictius eſt vinculum, pari ratione poteſt in juramento diſpenſari. Et certe neceſſitas diſpenſationis tam in Lege, quam in Voto inde repetitur, quod res, quæ univerſim conſiderata eſt honeſta, & utilis, ſecundum aliquem particularem eventum poteſt eſſe inhoneſta, & noxia, adeo ut nec Legis, nec Voti materia eſſe poſſit. Idem autem de juramento dicendum eſt, cujus materia ſi ſit aliquid inhoneſtum, repugnat juſtitiæ; ſi aliquid noxium, repugnat judicio; quibus conditionibus jusjurandum inſtructum eſſe debet. Eadem itaque ratione diſpenſari poteſt in juramento. Sic diſſerit *S. Th.* 2. 2. q. 89. art. 9.

REGULA XXIV.

Cum res jurata manifeſte repugnat juſtitiæ, Diſpenſatione, ſeu Abſolutione a juramento non eſt opus: nullum ſiquidem Jurisjurandi vinculum eſt.

De Juramenti Diſpenſatione

Ita docet *S. Th.* loco mox indicato, in Reſponſione ad tertiam Objectionem: *Quandoque* (inquit) *illud, quod cadit ſub Juramento promiſſorio, eſt manifeſte repugnans juſtitiæ: vel quia eſt peccatum; ſicut cum aliquis jurat ſe facturum homicidium; vel quia eſt majoris boni impeditivum, ſicut cum aliquis jurat ſe non intraturum Religionem. Et tale Juramentum Diſpenſatione non indiget: ſed in primo caſu tenetur aliquis tale Juramentum non ſervare; in ſecundo autem caſu licitum eſt, & ſervare, & non ſervare.*

Hanc Regulam confirmat *Alexander III.* c. 4. Ext. *De Jurejurando*. Aragonum Regi reſcribens, qui ſe a juramento poſtulabat abſolvi, quo monetam juſſu Patris ſui cuſam ſe conſervaturum juraverat, quamvis legitimo pondere deſtituta eſſet. *Diligens* (inquit) *indagator potuiſſet facile intueri, quod non tam erat Abſolutio neceſſaria, quam interpretatio requirenda*: quia nempe Juramentum illicitum obſervandum non eſſe certum eſt.

REGULA XXV.

Cum dubitatur, utrum id, quod Juramento promiſſorio firmatum eſt, ſit licitum, vel illicitum, utile, vel noxium, diſpenſatio petenda eſt ab Epiſcopo, aut a Summo Pontifice.

De Juramenti Diſpenſatione.

Hanc Regulam ſtatuit *S. Thom.* ibidem. *Quandoque* (inquit) *aliquid ſub Juramento promittitur, de quo dubium eſt, utrum ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocivum, aut ſimpliciter, aut in aliquo caſu: & in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare.*

REGULA XXVI.

Cum id, quod Juramento promiſſum eſt, honeſtum eſt, & utile, Diſpenſatio, vel Commutatio juſta de cauſſa peti poteſt, quam ſolus Pontifex Romanus concedere poteſt in Juramentis ex Eccleſiæ Diſciplina Sedi Apoſtolicæ reſervatis: Epiſcopi etiam in reliquis.

In primis, Juramenta, ſicut & Vota in melius poſſe commutari Prælatorum auctoritate certum eſt. Poſſe etiam in iis diſpenſari juſtis de cauſſis, Eccleſiæ uſus demonſtrat. Juſta autem cauſſa cenſetur, ſi res juramento promiſſi ſit valde ardua, & difficilis; ſi quid melius occurrat faciendum: ſi res illa prius videbatur magnam utilitatem allatura, nunc vero nullam, vel exiguam: ſi jusjurandum vi, dolo, aut gravi metu incuſſo exortum eſt: ſi ex ignorantia, errore, præcipitis animi levitate: ſi ſtante vinculo juramenti varia ſint pericula peccati, quæ removeri operæ pretium ſit ad ſalutem ejus, qui jurejurando obſtrictus eſt. Illorum porro juramentorum ſolutio uni Pontifici Romano reſervata eſt, quorum materia ſi Deo voveretur, vota eſſent Sedi Apoſtolicæ reſervata: videlicet de Caſtitate ſervanda, de Religionis ingreſſu, de peregrinatione Hieroſolymitana, ad limina Apoſtolorum, vel ad S. Jacobi Compoſtellani. Item in juramentis ſuper Statutis Eccleſiarum, & Academiarum, aut quæ bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem extraordinariam ſpectant, vel quæ a Regibus, Principibus Viris, & Epiſcopis fiunt, vel de rebus maxime arduis ſunt emiſſa, diſpenſationem a Summo duntaxat Pontifice poſtulari mos eſt. In ceteris diſpenſare poſſunt Epiſcopi, aut id, quod juratum eſt, in melius commutare, in ſuis duntaxat Diœceſibus: Romanus Pontifex in toto Orbe Chriſtiano, cum plenitudinem habeat poteſtatis, ſive ſummam in tota Eccleſia ligandi, ſolvendique poteſtatem, ut docet *S. Th.* 2. 2. qu. 89. art. 9. in Reſponſione ad tertiam objectionem. *Quandoque* (inquit) *ſub juramento promittitur aliquid, quod eſt manifeſte licitum, & utile: & in tali juramento non videtur habere locum diſpenſatio, vel commutatio, niſi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendam; quod maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui habet curam univerſalis Eccleſiæ: vel etiam abſoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad diſpenſationem rerum Eccleſiaſticorum pertinent, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis.*

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus* P. 2. Tit. 10. cap. 6. *Si ſubeſt juſta cauſſa* (inquit) *Papa poteſt abſolvere, ut in cap.* Si vero, *Ext.* De jurejurando. *Et eſt juſta cauſſa, ſi turpitudinem continet juramentum ex parte recipientis, puta, ſi juraverit ſolvere uſuras. Eſt etiam juſta cauſſa, propter ſcandalum vitandum, ut notat Gloſſa Innocentii: vel etiam cum major utilitas imminet in commutatione, ſicut etiam dicitur de voto. Et non ſolum Papa in his caſibus, ſed etiam Epiſcopus poterit abſolvere, ſicut & votum commutare, ut dicit Innocentius in cap.* Debitores, *eodem Tit. Sed in hoc eſt differentia inter Papam, & Diœceſanum; quia in factis magnarum perſonarum, vel multum dubiis, debet recurri ad Papam, & ſic poteſt intelligi cap.* Venerabilem. *Sed in aliis poterit Epiſcopus reſpectu ſolius ſuæ Diœceſis, Papa autem reſpectu totius orbis poteſt vel commutare, vel abſolvere. Alius citra Epiſcopum non poteſt, qui non habet Epiſcopalem Juriſdictionem.*

REGULA XXVII.

Jusjurandum in ſuum favorem, & utilitatem præcipue factum, privatus quiſque remittere poteſt.

De Juramenti Remiſſione.

Sic reſpondet *S. Th.* 2. 2. q. 89. art. 9. ad ſecundum. *Homo* (inquit) *poteſt aliquid alteri promittere ſub juramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius: Puta, ſi ſub juramento promittat ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum: & a tali promiſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt: Intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum: Puta, ſi aliquis ſub juramento promittat alicui, ſe intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem: quia promiſſio non eſt ei facta principaliter, ſed Deo: niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cujus poſſit, ſcilicet, ſi illi videtur; cui promittitur, vel aliud tale.* Idem cenſet *S. Antoninus*, idque confirmat ex c. *Ex adminiſtrationis*, Ext. *De Jurejurando*, quod *Gregorii II.* Reſponſum eſt: *Mandamus* (inquit) *quatenus ad juramenta ſuper uſuris ſibi ſolvendis præſtita relaxanda, Eccleſiaſtica diſtractione cogatis.* Et ex cap. *Præterea*, Ext. *De Sponſalibus*, quod eſt *Innocenti III.* Exonienſi Epiſcopo ſcribentis: *Hi, qui de Matrimonio contrahendo pure, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent. Si autem ſe ad invicem admittere noluerint: ne forte deterius inde contingat, ut talem ſcilicet ducat, quam odio habet: videtur, quod ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari.*

REGULA XXVIII.

Superior quilibet ſubditorum ſuorum Juramenta irrita facere poteſt, circa ea, quæ ipſius poteſtati ſubduntur.

Sic pater juramenta filiæ, vir uxoris, tutor impuberum, irrita facere poteſt, ut conſtat ex *Num.* 30. Cap. verſ. 4. & de Votis dictum eſt. Ita *S. Th.* ceterique Theologi: non poſſunt tamen tutores minorum juramenta irrita declarare, ſi pubertatis annos exceſſerint, ut ſancitum eſt L. *Si minor*, Cod. Tit. 28. cujus hæc ſunt verba: *Si minor annis vigintiquinque emptori prædii caviſti, nullam de cetero te eſſe controverſiam facturum, idque etiam jurejurando corporaliter præſtito ſervare confirmaſti, neque perfidiæ, neque perjurii me auctorem tibi futurum ſperare debuiſti.* Idem nova Conſtitutione *Friderici* cautum eſt, cujus hæc ſunt verba: *Sacramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inviolabiliter cuſtodiantur.*

REGULA XXIX.

Gravis peccati rei ſunt, qui leviter, temere, abſque neceſſitate, aut juſta utilitate, ex prava conſuetudine jurant.

Leviter, & temere jurandi conſuetudo, grave peccatum.

Quamvis enim verum jurent, certique omnino ſint rem ita ſe habere, nec proximum jurejurando fallere, aut alicui nocere velint, adeoque jurent *in veritate, & juſtitia*, non tamen *in judicio*: cujus unius conditionis defectus jusjurandum illicitum, & quodam modo *perjurium eſt*, ut *S. Hieronymus* docet in c. 4. *Jeremiæ*. Deeſt ſcilicet hujuſmodi juramentis prudentia, cum abſque neceſſitate, & utilitate frequententur: Deeſt pietas, & reverentia erga Deum,

Deum, cum paſſim teſtis appelletur in rebus leviſſimi momenti: in perjurii denique periculum incurritur, cum jurandi conſuetudo, linguæ lapſus, humani ingenii tenebræ, quod res plerunque dubias veras eſſe putat, efficiunt, ut facile pejeret, qui jurare conſuevit.

Hanc Regulam Scripturæ Sacræ verbis, Patrumque teſtimoniis fulcire operæ pretium eſt. *Jurationi non aſſueſcat os tuum,* (inquit Spiritus Sanctus Eccl. c. 23.) *Multi enim caſus in illa. Nominatio vero Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & Nominibus Sanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim ſervus interrogatus aſſidue a livore non minuitur: ſic omnes jurans, & nominans, in toto a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet a domo illius plaga. Et ſi fruſtraverit,* a *delictum illius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulaverit,* b *delinquit dupliciter: & ſi in vacuum* c *juraverit, non juſtificabitur: Replebitur enim retributione domus illius.* Et c. 27. 15. *Loquela multum jurans, horripilationem capiti ſtatuet: & irreverentia ipſius obturatio aurium.*

a Ideſt deceperit. b Quaſi per ſimulationem jurando falſum. c Ideſt ſine debita cauſſa, & neceſſitate.

Eandem Regulam pluribus in locis confirmat *S. Aug.* ſcilicet Ep. 157. alias 89. c. 5. *Jurationem* (inquit) *cave quantum potes. Melius quippe, nec verum juratur, quam jurandi conſuetudine, & in perjurium ſæpe caditur, & ſemper perjurio propinquatur.*

Jacobi 5.

Et Lib. 1. *De Sermone Domini in Monte*, c. 17. *Ita intelligitur præcepiſſe Dominum ne juretur, ne quiſquam ſicut bonum appetat jusjurandum, & aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem delabatur. Quapropter, qui intelligit, non in bonis, ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt, ut non ea utatur, niſi neceſſitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum, quod eis utile eſt credere, niſi juratione firmetur.*

Prava jurandi conſuetudo quomodo frænanda.

Item Serm. 180. alias 28. *De Verbis Apoſtoli*, c. 9. tractans hæc verba Apoſtoli Jacobi; *Ante omnia, nolite jurare*, hæc ab Apoſtolo dicta ait, ut Chriſtianos ad frænandam jurandi conſuetudinem excitaret. *Quid eſt*, Ante omnia? *Ante omnia vigila, ante omnia intentus eſto. Juravimus & nos paſſim, habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem, & mortiferam. Dico caritati veſtræ, ex quo Deo ſervire cœpimus, & quantum malum ſit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus. Frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit.* Ait Chriſtus; Sit in ore veſtro, Eſt, eſt. Non, non: quod autem amplius eſt, a malo eſt. *Sed tamen aliud habet humana peſſima conſuetudo. Et cum tibi creditur, juras, & cum nemo exigit, juras; & horrentibus hominibus juras; non taces jurando, vix es ſanus non pejerando... Iſtam ergo conſuetudinem quotidianam, crebram, ſine cauſſa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante, jurandi avertite a vobis, amputate a linguis veſtris, circumcidite ab ore veſtro.... Quid eſt,* Ante omnia? *Præ ceteris cautus eſto, plus ad hoc intentus eſto, quam ad alia. Major conſuetudo majorem intentionem flagitat, non rei levis conſuetudo. Si de manu aliquid faceres, facilius manui tuæ imperares, ne faceret; ſi pedibus aliquo eundum eſſet, pigritia retardante excitares te, ut ſurgeres, & ires. Lingua facilitatem habet motus, in udo poſita eſt, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius, & facilius movetur, tanto tu adverſus illam fixus eſto. Domabis, ſi vigilabis; vigilabis, ſi timebis; timebis, ſi te Chriſtianum eſſe cogitaveris ... Non fiat hodie, pigrius fit cras. Si & cras factum non fuerit, minus laborat, qui cuſtodit, adjuvatur enim conſuetudine ſuperioris diei.*

Idem confirmat *S. Ambroſius*, Lib. *De Exhortatione Virginitatis*, c. 11. *Quid nos Scriptura admoneat, conſideremus. Non jurandum facile, quia plerunque multi caſus accidunt, ut non poſſimus implere, quod juravimus. Qui autem non jurat, utique non pejerat: qui autem jurat, aliquando neceſſe eſt, incidat in perjurium, quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare.*

Quantæ ſit irreverentiæ, & impietatis Dei nomen paſſim uſurpare, & abſque juſta neceſſitate, vel utilitate jurare, docet etiam *Theodoretus* Interrogatione 41. in Exod. ſenſum hujus præcepti, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, explicans. *Quidam* (inquit) *prohiberi dicunt, ne quis res vanas, hoc eſt, Idola nomine Dei vocet: alii, ne quis jurando mentiatur. Ego autem puto, divinam Legem ſtatuere, ne quis nomen Dei pronuntiet ſine aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut neceſſariæ cujuſpiam occaſionis. Solent enim nonnulli, etiam ludentes, & ridentes, ut inciderit, reverendum Dei nomen lingua proferre. Hoc arbitror divina Lege prohiberi; ſi enim conſueverunt multi pretioſiorem veſtem diebus feſtis reſervare: multo magis divinum nomen precibus, atque docendi officio æquum eſt conſecrare.*

In pravam illam jurandi conſuetudinem acriter invehitur *Salvianus* Lib. 4. De Gubernatione Dei. *Quis eſt* (inquit) *omnino hominum ſæcularium præter paucos, qui non ad hoc ſemper Chriſti nomen in ore habeat, ut pejeret? Unde etiam pervulgatum hoc fere & apud Nobiles, & apud ignobiles ſacramentum eſt: Per Chriſtum, quia hoc facio: Per Chriſtum, quia hoc ago: Per Chriſtum, quia nihil aliud dicturus ſum: Per Chriſtum, quia nihil aliud acturus ſum. Et quid plura? In id penitus deducta res eſt, ut ſicut de Paganis Barbaris prius diximus; Chriſti nomen non videatur jam ſacramentum eſſe, ſed ſermo. Nam in tantum apud plurimos Nomen hoc parvipenditur, ut nunquam minus cogitent quippiam facere, quam cum ſe jurant per Chriſtum eſſe facturos.*

Peſſimam illam conſuetudinem jurandi in vulgaribus, & familiaribus colloquiis penitus evellere, Summi Pontifices, & Concilia Decretis ſuis ſtuduerunt; ſcilicet Concilium Turonenſe 3. anno 813. Can. 43, *Omnes* (inquit) *homines admonemus, ne per ſingula verba, quaſi ad confirmationem ſuæ Aſſertionis, Nomen Domini in vanum aſſumant: quod ipſe Dominus interdicit faciendum, ubi ait,* Ne aſſumas nomen Dei tui in vanum. *In vanum nomen Dei aſſumitur, quando aliquis ad ſingula verba, quibus vult, ut ſibi ab alio credatur, Deum omnipotentem teſtem rei, de qua ait, invocat, eumque ſibi ita eſſe adjutorem, ſicut ea vera ſunt, quæ loquitur. Nam & ipſe Dominus in Evangelio, hoc modo prohibens omne genus juramenti, Nolite, inquit, omnino jurare, neque per cælum, neque per terram, neque per caput tuum, &c.*

Concilium Troslejanum anno 900. Can. 11. *Cohibeantur* (inquit) *perjuria, non ſolum quæ alicujus fictionis fiunt commento, vel fallendi alioſque decipiendi ſtudio: ſed & ea, quæ ex ipſa prava conſuetudine jam veluti inolita, pene per ſingula admittuntur vel ab eis, quibus æque falſa conſtat jurare, ac vera. Cum ſi forte propter eos, qui pigri ſunt ad credendum, neque moventur ad fidem verbi, qui & in hoc graviter delinquunt, quod ſibi loquentes jurare cogunt, neceſſe fuerit proferre jusjurandum: hos comites habere debeat jusjurandum, veritatem, judicium, & juſtitiam: dicente Domino per Prophetam Jeremiam:* Et Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia. *Si enim iſta defuerunt, nequaquam erit juramentum, ſed perjurium.* Et infra: *Nomen Dei ſui in vanum aſſumit, qui in qualibet frivola re, & in dolo jurans proximo ſuo, aliquando in cauſſa non neceſſaria, vel in verbo otioſo Nomen ſanctum ejus in tali vanitate aſſumere non paveſcit. In Novo autem Teſtamento ipſe Dominus dicit:* Audiſtis, quia dictum eſt Antiquis, Non perjurabis. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, &c. *Ergo Evangelica Veritas non recipit juramentum, cum omnis ſermo Fidelis pro jurejurando ſit.*

Innocent. III. c. *Etſi Chriſtus*, Ext. *De Jurejurando*, explicans, qua ratione licitum ſit, vel prohibitum juramentum; *Quædam*, (inquit) *prohibentur, quia per ſe mala ſunt, ut furtum, adulterium, & hujuſmodi, quæ non ſunt aliquatenus facienda. Quædam vero prohibentur ex cauſſa, non quia per ſe mala ſunt, ſed quia, ſi fiant frequenter, & multum, ex his mala ſequuntur: ut vinum per ſe malum non eſt, & tamen prohibet Apoſtolus dicens,* Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: *Quoniam ex frequenti, & immoderata vini potatione luxuria generatur. Sic juramentum per ſe quidem malum non eſt, cum ſit confirmatio veritatis; ſed tamen prohibetur ex cauſſa, quoniam ex frequenti incauta juratione perjurium ſæpe contingit.*

Concilium Bituricenſe anno 1584. Tit. 29. Can. 2. *Scriptum erat Antiquis,* Non pejerabis, ſed reddes Domino ſacramenta tua. *Chriſtus autem ſuos docuit non jurare omnino, ne temere homines nomen Dei aſſumant, & ex jurandi conſuetudine via perjuriis aperiatur. Prohibet ergo hæc Synodus omne jusjurandum, niſi quod ad eliciendam veritatem in judicio requiritur. Si quis temere juraverit, & monitus in idem peccatum reciderit, excommunicetur.*

Lev. 9. Exod. 20. Deut. 5. Matth. 5.

Eandem Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 99. artic. 5. ubi juramentum non eſſe per ſe appetendum, & frequentandum probat his verbis: *Quod non quæritur niſi ad ſubveniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria: ſicut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubveniendum infirmitati. Juramentum autem quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quod ſcilicet unus homo alteri diſcredit. Et ideo juramentum eſt habendum non inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea quæ ſunt huic vitæ neceſſaria: quibus indebite utitur, quicunque eis utitur ultra terminos neceſſitatis.*

Concilii denique Tridentini Catechiſmus hanc Regulam tradit. *Neque* (inquit) *jusjurandum temere, & inconſiderate, ſed conſulto, & cogitato adhiberi debet. Itaque juraturus primo quidem conſideret, utrum neceſſitate cogatur, necne, remque totam accurate expendat, an ejuſmodi ſit, ut Jurejurando indigere videatur. Tempus præterea ſpectet, locum attendat, aliaque permulta, quæ rebus adjuncta ſunt, circumſpiciat; non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur, ſed ipſius rei vi, ac neceſſitate. Etenim niſi hæc conſideratio, ac diligens animadverſio anteceſſerit, ſane jusjurandum præceps, ac temerarium erit: cujuſmodi eſt illorum irreligioſa affirmatio, qui in re leviſſima, & inani, nulla ratione, aut conſilio, ſed prava quadam conſuetudine jurant. Id vero paſſim quotidie a venditoribus, & emptoribus fieri videmus: nam illi, ut quamplurimo vendant, hi rurſus, ut quam minimo emant, res venales, vel laudare, vel vituperare jurejurando non dubitant.*

Ex his colligitur, Sacerdotem, qui a Confeſſionibus eſt, Abſolutionem his, qui jurandi conſuetudine implicantur, impendere non debere, donec pravam illam conſuetudinem exuerint, aut certe donec probaverit, utrum pro virili contra illam luctentur, & ad eam domandam incumbant.

Quomodo gerere ſe debeat Confeſſarius erga eos, qui jurandi conſuetudine implicantur.

Gra-

Graviter quoque illos arguendos eſſe, qui prava pariter conſuetudine inchoationes quaſdam execrandorum juramentorum, immo & blaſphemiarum proferunt, quæ facili præcipitis linguæ lapſu, ira præſertim dominante, in completa juramenta, & blaſphemias erumpunt. His congrua Pœnitentia imponenda eſt, ut ab ea conſuetudine reſipiſcant, quæ propinqua eſt temerario juramento, & blaſphemiæ, ſicut aſſiduitas ipſa jurandi vicina perjurio eſt. *Qui enim amat periculum, in illo peribit*. Revocanda rurſus in memoriam: præclara illa *S. Auguſtini* Sententia Serm. 180. alias 28. *De Verbis Apoſtoli* c. 2. *Quia grave peccatum eſt pejerare, compendium tibi dedit Scriptura, Noli jurare. Quid tibi dicturus ſum homo, Verum jura? Ecce verum jura, non peccas ſi verum juras, non peccas. Sed homo inter tentationes poſitus, carne involutus, calcans terram ſub terram, dum corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, inter iſta multa tua cogitata incerta, volatica, conjecturas humanas, quando non ſubrepit tibi, quod falſum eſt, poſito in regione falſitatis? Vis ergo longe eſſe a perjurio? Jurare noli. Qui enim jurat, aliquando verum jurare poteſt, qui autem non jurat, mendacium jurare nunquam poteſt. Juret ergo Deus, qui jurat ſecurus, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat, quia nec falli poteſt. Cum enim jurat, ſe adhibet teſtem. Quomodo tu cum juras, Deum adhibes teſtem: ſic ipſe cum jurat, ſe teſtem adhibet. Tu quando illum adhibes teſtem, forte ſupra mendacium tuum, accipis in vanum nomen Domini Dei tui. Ne ergo mendacium jures, noli jurare. Ipſa eſt anguſtia, Perjurium, præcipitium. Qui jurat, juxta eſt: qui non jurat, longe eſt. Peccat & graviter, qui falſum jurat: non peccat, qui verum jurat: ſed nec ille peccat, qui omnino non jurat. Sed qui non jurat, & non peccat, longe eſt a peccato: qui autem verum jurat, non peccat, ſed prope eſt ad peccatum. Fac te ambulare in aliquo loco, ubi a parte dextera ſpatioſa ſit terra, nec uſquam anguſtias patiaris; a ſiniſtra præceps locus eſt. Ubi eligis ambulare? Super finem terræ in labio præcipiti, an inde longe? Puto, quia inde longe. Sic & qui jurat, in fine ambulat, & ambulat pedibus infirmis, quia humanis. Si offenderis, deorſum is; ſi lapſus fueris, deorſum is. Et quid te excipit? Perjurii pœna. Ergo volebas verum jurare: audi conſilium Dei, Noli jurare ... Falſa juratio, exitioſa eſt: vera juratio, periculoſa eſt; nulla juratio, ſecura eſt.* Qua autem ratione gerere ſe debeat Sacerdos, qui a Confeſſionibus eſt erga eos, qui in proxima peccandi occaſione verſantur, & periculum amant, vel ex conſuetudine, & habitu peccant, in Tract. de Pœnitentia dictum eſt.

Præclara S. Auguſtini ſententia contra jurandi conſuetudinem.

Perjurio proximus eſt, qui frequenter jurat.

Temeraria juramenta.

REGULA XXX.

Qui per fidem ſuam paſſim, crebro, & ſine cauſſa jurant, temerarii juramenti rei ſunt.

S. Aug. Serm. 1. alias 5. ex editis a P. Sirmondo.

Sive enim fides illa ſuperior intelligatur, quia fideles dicimur, qua in Deum credimus, qua Chriſtiani, & Catholici ſumus; ſive ea, quæ vulgo etiam fides dicitur, quæ ſocietatis humanæ vinculum eſt, quam & Deus imperat, ne cuiquam fraudem faciamus, ut fidem quiſque ſervet in negotio, ut fidem ſervet uxori in lecto; quam exigimus a ſervo, & in illo amamus, quam non videmus oculis carnis, ſed oculis cordis; Deum teſtem appellari certum eſt, cujus veritas, quæ non eſt aliud quam ipſe, in utraque fide, modo licet diverſo, promicat. Unde ſicut illos, qui *Per veritatem*, aut *Per caritatem*, quippiam aſſerendo, vel negando, ſe jurare non putabant, temerarii juramenti reos eſſe declaravit *Carolus Magnus* in Capitulari ab Epiſcopis approbato, ſi abſque neceſſitate, aut juſta cauſſa, has aſſerendi, vel promittendi formulas uſurparent: reos vero perjurii, ſi falſum aſſererent, aut promiſſum ita firmatum ſponte violarent; ita illos, qui *Per fidem ſuam* paſſim, crebro, & ſine cauſſa jurant, temerarii juramenti reos; & ſi falſitatem hac jurandi formula confirmaverint, vel rem bonam, & licitam promiſerint, fideique ſuæ conteſtatione promiſſum roboraverint, & nihilominus violare non dubitaverint, reos perjurii aſſerimus, reclamante licet *Silvio* magni nominis Theologo, 2. 2. q. 89. art. 1. Sic autem habet *Carolus Magnus* Rex Chriſtianiſſimus in Capitulari Aquiſgranenſi, quod ex *Canonicis Inſtitutionibus* condidit, & promulgavit anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo nono, c. 62. *Habemus in Lege Domini præcipiente*, Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Ideo omnino admonendi ſunt omnes diligenter, ut caveant perjurium, non ſolum in ſancto Evangelio, vel in Altari, ſeu in Sanctorum Reliquiis, ſed in communi loquela: quia ſunt aliqui, qui per caritatem, & veritatem jurant, & cavent ſe a juramento Nominis Dei, & neſciunt, quod idem eſt Deus, quod caritas, & veritas, dicente Joanne Apoſtolo, quia* Deus caritas eſt. *Item ipſe Dominus in Evangelio*: Ego ſum via, & veritas. *Ideo, qui in veritate, & caritate jurat, in Deo jurat.*

Lev. 19. Exod. 20.

1. Joan. 4. Joan. 14.

Præterea, qui per fidem ſuam, & veritatem aliquid aſſerit paſſim, & abſque neceſſitate, Chriſti mandatum tranſgreditur (Matth. 5.) *Sit autem*, inquit, *ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.* Hinc *S. Clemens Alexandrinus* Lib. 7. *Stromatum* perfectum Chriſtianum deſcribens, ait: *Propter ſe ipſum autem multo minus mentietur, aut pejerabit, ſiquidem nunquam ſua ſponte in ſe ipſum injuſtus invenietur. Sed neque jurat, ut qui in affirmatione quidem, Ita, vel, Eſt; in negatione autem, Non, uſurpare conſtituerit. Jurare enim eſt jusjurandum, vel tanquam jusjurandum mente conceptum proferre affirmative. Sufficit ergo ei, vel affirmationi, vel negationi addere illud, Vere dico, ut fidem eis faciat, qui reſponſi ejus non perſpiciunt ſtabilitatem. Oportet enim eum habere apud externos quidem vitam fide dignam, ne poſtuletur quidem ab eo jusjurandum: apud ſe ipſum autem, & qui cum eo converſantur, animi æquitatem, quæ eſt juſtitia voluntaria... Qui ne jurat quidem, multum abeſt, ut ſit pejeraturus: qui autem nihil tranſgreditur, ex iis, quæ pacta, & conventa ſunt, is nunquam juraverit, cum tranſgreſſionis, & perfectæ obſervationis in factis alia ſit ei confirmatio: ſicut certe mentiri, & pejerare, in dicendo, & jurando, eſt præter officium. Qui autem juſte vivit, nihil ex iis, quæ decet, fieri tranſiliens, ubi examinatur judicium veritatis, is factis vere, & ſancte jurat. Eſt ergo ei ſuperfluum linguæ teſtimonium.*

REGULA XXXI.

Blaſphemia crimen eſt perjurio gravius.

Colligitur ex *S. Aug.* Lib. *Contra Mendacium*, c. 19. *Ideo autem pejus eſt blaſphemare, quam pejerare, quoniam pejerando falſæ rei adhibetur teſtis Deus, blaſphemando autem de ipſo falſa dicuntur Deo. Tanto eſt autem quiſque inexcuſabilior, ſive perjurus, ſive blaſphemus, quanto magis ea, quæ pejerando, vel blaſphemando aſſerunt, falſa noverunt eſſe, vel credunt.* De hoc crimine ait Sapiens, Eccl. 23. 15. poſtquam de aſſidua juratione locutus eſt: *Eſt & alia loquela contraria in hæreditate Jacob.* Uſque enim adeo atrox, & immane eſt, ut Sacræ Litteræ hanc loquelam vocent *contrariam morti*, & *benedictionem Dei*, verbis ſcilicet contraria ſignificantibus. 3. Reg. 11. *Benedixit Naboth Deum, & Regem*, ideſt, blaſphemavit. Job 1. *Si non in faciem benedixerit tibi*; ideſt, palam, & imprudenter blaſphemaverit. Job 2. *Benedic Deo, & morere*; ideſt, blaſphemiis Deum appete, ut ab ipſo percuſſus moriaris, & ita malorum fidem accipias.

Blaſphemia crimen quam grave.

REGULA XXXII.

Blaſphemiæ reus eſt, quiſquis cogitate, & deliberate verba in Deum, aut Sanctos contumelioſa profert, eorum ſignificationem advertens; quamvis actualem blaſphemandi intentionem non habeat.

Si enim blaſphemiæ reus eſt, qui ignorans blaſphemat; ſecundum illud Apoſtoli ad 1. Tim. c. 1. *Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*: multo magis blaſphemiæ reus eſt, qui ſciens verba convicii, & contumeliæ, in Deum, Virginem Deiparam, aut Sanctos profert.

Hanc Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 13. art. 2. in Reſponſione ad tertiam objectionem. *Blaſphemia*, inquit, *poteſt abſque deliberatione ex ſurreptione procedere dupliciter. Uno modo, quod aliquis non advertat hoc, quod dicit eſſe blaſphemiam; quod poteſt contingere, cum aliquis ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat: & tunc eſt peccatum veniale, & non habet proprie rationem blaſphemiæ. Alio modo, quando advertit hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum, & tunc non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem.* Et ille ergo blaſphemiæ reus eſt, ſceleriſque atrocis, & immanis, qui ex ſubito motu iræ verba contumeliæ, convicii, & improperii in Deum, & Sanctos profert; quamvis in ea ex conſuetudine prorumpat. Immo tanto gravius crimen eſt, quanto diutius infelicem animam detinet alligatam; nec refert, quod inconſiderate blaſphemet, quia inconſideratio illa ex illius prava voluntate ortum habet, quam malam conſuetudinem emendare negligit. Quinquennem puerum, in quo malitia Diabolica prævenerat ætatem, & qui *Mox, ut ejus animo aliquid obſtitiſſet, Majeſtatem Dei blaſphemare conſueverat*, conſuetudo prava non excuſavit a lethali peccato nec immunem fecit ab æterna damnatione. Immo puer ex conſuetudine blaſphemans in articulo mortis, Dæmonibus ſub horrifica Maurorum hominum forma ipſi conſpicuis traditus eſt, ut refert *S. Greg.* Lib. 4. *Dialogorum*, c. 18.

Blaſphemiæ gravitas.

Hujus peccati gravitatem *S. Antoninus* oſtendit, P. 2. Tit. 7. c. 5. Maledicere Deum (inquit) eſt imprecare ei malum, ac ſi eſſet creatura; quod tamen ei non poteſt convenire, & ſic continet blaſphemiam. *Hoc autem ſemper eſt mortale, cum perpendit ſe maledicere, nec excuſatur, quod ex ſubita ira hoc facit, vel ex more; ſicut nec excuſaretur ab homicidio, & conſequenter a pœna mortis, ſi quis ex impetu iræ hoc ageret.* Pſal. 36. Maledicentes autem ei (*ſcilicet Deo*)

Deo) diſperibunt, *ideſt diverſis modis peribunt, quia quoad animam, morte gehennæ in alia vita, & præſenti variis pœnis corporeis.* Lev. 25. Qui maledixerit Deum ſuum, morte morietur, *ſcilicet corporali*. Hujus autem peccati gravitatem ex triplici capite demonſtrat S. Archipræſul. Primo ex eo, quod viri pii crimen iſtud vel nominare horreant, contrarioque benedictionis nomine ſignificent, *Job* 1. & 3. *Reg.* 21. Quod Judæi blaſphemiam audientes, veſtimenta ſua in ſignum horroris lacerarent, ut ex cap. 26. *S. Matthæi* colligitur. Quod ex odio Dei procedere blaſphemia videatur, quod certe peccatorum omnium graviſſimum eſt. Secundo gravitatem hujus criminis oſtendit ex ſeveritate Legum ſcelus illud vindicantium: Lex Vetus pœnam mortis in blaſphemos decernit. Unde Populo Dei iter agente per Deſertum ad Terram Promiſſionis, blaſphemum quendam hominem Dominus lapidare juſſit (*Lev.* 24.) Lex Canonica hujus criminis reis ſeveram Pœnitentiam imponit. In omni etiam Civitate bene conſtituta blaſphemi mulctis pecuniariis, aliiſve ſecundum Leges, & Statuta puniuntur. *Et Officiales in talibus locis, qui omittunt ex negligentia tales punire, graviter peccant.* Tertio gravitatem hujus criminis *S. Antoninus* oſtendit, quia damnatorum occupatio eſt. *Non aliud opus*, inquit, *in inferno exercent, niſi blaſphemare Deum & maledicere*, ut de illis ait *S. Joannes Apocalypſis* 16. Commanducaverunt linguas ſuas præ dolore... Et blaſphemaverunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus ſuis, & non egerunt Pœnitentiam ex operibus ſuis. *Qui ergo hoc vitio detinentur, oſtendit ſe pertinere ad ſtatum damnatorum, ex quo exercet artem eorum.*

REGULA XXXIII.

Blaſphemiæ reus eſt, quiſquis Dei nomen, aut attributum aliquod incommunicabile creaturæ tribuit. Ejuſdem criminis reus eſt, qui ſibi tribui patitur.

Blaſphemia.

Illi enim divinæ derogant excellentiæ, & quod ipſi debitum eſt, detrahunt. Hujus peccati rei ſunt profani illi, & libidinoſi amatores, qui mulierculas, quarum illecebris capti ſunt, Deas appellare non erubeſcunt. Nec dicat aliquis ad crimen levandum, amatorio joco id, & ſimilia proferri. In his enim, quæ Deum ſpectant nullus eſt joco locus. *Nolite errare*, (inquit Apoſtolus) *Deus non irridetur*. Blaſphemiæ reus eſſet, qui Principem Virum omnipotentem, aut immortalem appellaret. Blaſphemiæ reus fuit Hærodes Agrippa, qui Tyriis, & Sidoniis pacem poſtulantibus, cum eorum Oratoribus reſponderet, populuſque dicenti acclamaret, *Dei voces, & non hominis*, blaſphemam illam adulationem lætus excepit. Unde *confeſtim percuſſit eum Angelus Domini; eo quod non dediſſet honorem Deo: & conſumptus a vermibus, expiravit*; ut habetur in Actis Apoſtolorum, c. 12.

REGULA XXXIV.

In foro conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima Pœnitentia abſolvendus eſt.

Blaſphemorum pœna.

Gravioribus enim criminibus gravior Pœnitentia imponi debet: blaſphemia autem graviſſimum peccatum eſt, cum infidelitate quandoque conjunctum, ſemper ipſi affine, utpote confeſſioni fidei oppoſitum, homicidio gravius. *Quia enim in gravitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis perverſæ, quam effectus operis: ideo cum blaſphemus intendat nocumentum inferre honori divino, ſimpliciter loquendo gravius peccat, quam homicida*; (inquit *S. Th.* 2. 2. qu. 13. art. 3.)

S. Pius V. in Conſtit. quæ incipit: Ut primum.

Hanc Regulam confirmat *Leo X.* Pontifex Maximus approbante Lateranenſi Concilio Seſſ. 9. *In foro autem conſcientiæ*, inquit, *nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima Pœnitentia ſeveri Confeſſoris arbitrio injuncta, poſſit abſolvi*. Pœnas præterea graves pro ratione ſceleris idem Pontifex, Conciliumque in Blaſphemos decernunt, forum exterius ſpectantes. Hanc *Leonis X.* & Lateranenſis Concilii Conſtitutionem *S. Pius V.* confirmavit. Secundum hanc in blaſphemos agendum decrevit Concilium Mediolanenſe 1. ſub *S. Carolo Borromæo*, P. 1. Tit. de Blaſphemia: *Blaſphemia*, inquit, *impudentia, & impietas eo prolapſa eſt, ut in ea coercenda vix ſatis diligentiæ adhiberi poſſe videatur. Itaque Sacris Canonibus, & Pontificum Decretis, maxime vero iis, quæ Leo X. in Lateranenſi Concilio decrevit, innixi, hæc mandamus: Ut quicunque Deo palam, ſeu publice maledixerit, contumelioſiſque, aut obſcœnis verbis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel Glorioſam Virginem Mariam ejus Matrem, expreſſe blaſphemaverit; ſi Clericus ſit, primum fructibus unius anni Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæcumque habuerit, mulctetur. Si iterum in eo peccarit, eo Beneficio, quod habet, privetur; & ſi plura obtineat, eo privetur, quo Ordinarius privandum cenſuerit. Si tertio blaſphemaverit, Dignitates, ac Beneficia omnia, quæcunque habuerit, eo ipſo amittat, ad eaque deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis ſit. Si vero Laicus fuerit, primum, aut etiam ſecundo pecunia mulctetur, ex præſcripta in eodem Concilio ratione. Tertio, gravem Pœnitentiam publice agat, eo modo, quo a Sacris Canonibus præſcriptum eſt. Qui vero Sanctos blaſphemavit, aut in Deum, & Glorioſam Virginem maledicta, non tamen palam, aut publice contulerit, mitius aliquanto Judicis arbitrio puniatur. In foro autem conſcientiæ, ei, qui blaſphemiæ reus fuerit, gravem pro modo culpæ Pœnitentiam Confeſſor imponat.*

Concilium Burdigalenſe 1582. Chriſtianos a blaſphemiis, & contumelioſis in Deum, ac Sanctos verbis *Communionis privatione* deterreri jubet.

Concilium Bituricenſe ann. 1584. celebratum, Clericum in Deum, & Sanctos blaſphemum deponi, Laicum Communione privari, & ad Judices ſæculares deferri ſtatuit.

Concilium Toloſan. 1590. cap. 13. ita ſtatuit: *Qui in Deum, Beatam Virginem, Sanctoſve palam blaſphemaverint, ex Concilii Lateranenſis Decretis, Bullaque S. Pii V. ſevere puniantur. Hoc Populum Parochi, hoc Confeſſarii, hoc Concionatores ſæpiſſime docebunt.*

Concilium Avenionenſe anno 1594. Tit. 58. *Leonis X.* & *Pii V.* Conſtitutiones adverſus Blaſphemos promulgat, & obſervari jubet. *In execrabili* (inquit) *Blaſphemiæ ſcelere, quod ad hæreſim, quæ ſumma blaſphemia eſt, proxime accedit, radicitus convellendo, non minorem curam, ſtudiumque ponere debet Epiſcopus, quippe quo juſta ira Dei contra nos accenditur, ac incitatur. Quare Epiſcopus contra hujuſmodi deteſtabiles homines, qui tale crimen committunt, ex Sacrorum Canonum Jure, tum præſertim ex Sanctione Leonis X. in Concilio Lateranenſi edita, & S. Pii V. Conſtitutione, quo adeo nefarium ſcelus non modo compeſcatur, ſed plane tollatur, ſeveriſſime animadvertat.*

Concilium Narbonenſe anno 1609. c. 8. ſtatuit, ut *Si quis ore impuro blaſphemarit; ſi Clericus ſit, excommunicetur, & arbitrio Ordinarii puniatur: ſin vero Laicus, & monitus pro prima, ſecunda, & tertia vice, adhibitis duobus ſaltem teſtibus non deſtiterit, a Catholicorum cœtu expulſus, publice excommunicatus per Parochum declaretur.*

Eandem Regulam confirmat Synodus Trecenſis an. 1427. ita ſtatuens: *Sunt nonnulli tam Laici, quam Eccleſiaſtici Viri, qui Redemptorem ſuum turpiter inhonorantes, deteſtabilia in ejus blaſphemiam faciunt juramenta, puta, per carnem ſuam, per ſanguinem, per mortem, per plagas, per caput, per viſcera, vel aliud concernens ejus humanitatem jurantes, & ipſum Redemptorem noſtrum pro nobis omnibus in Cruce mortem paſſum, iterum crucifigunt. Propter quod diſtricte prohibemus, ſub pœna quadraginta ſolidorum in uſus pios convertendorum, talia fieri de cætero juramenta, cum in non modicam ejuſdem Domini noſtri ſonent blaſphemiam. Si quis autem talia ſit aſſuetus facere juramenta, pro quarta vice volumus ad Nos, aut Pœnitentiarios noſtros remitti abſolvendum. Si quis vero Deum negaverit, vel deſpicaverit; pro prima vice duos dies, pro ſecunda quatuor in pane, & aqua jejunare compelletur, pro tertia autem in ſcala (ut moris eſt) reponetur, ut ipſe, qui Deum blaſphemavit, a Populo merito infametur.*

Sed & olim Chriſtianiſſimi Imperatores Lib. 6. Capitularium blaſphemos in carcerem detrudi, & *Publica Pœnitentia mulctari*, edixerunt.

Publica blaſphemorum pœnitentia.

Gregorius IX. c. Statuimus, Ext. *De Maledicis*, blaſphemum ſeptem diebus Dominicis præ foribus Templi ſtare decernit, dum *Miſſarum ſollemnia* celebrantur: ultimo dierum illorum abſque pallio, & calceamentis, ligatum corrigia circa collum Exomologeſim facere: ſeptem præcedentibus ſextis Feriis in pane, & aqua jejunare, tres, aut duos pauperes, aut unum ſaltem reficere: ab Eccleſiæ aditu illis diebus abſtinere. Quam Pœnitentiam ſubire, & peragere ſi renuat, *Eccleſiæ interdicatur ingreſſu, & in obitu Eccleſiaſtica careat ſepultura.*

Vetus Pœnitentiale Romanum eum, qui per capillum Dei, aut caput ejus juraverit, aut alia blaſphemiæ verba protulerit, ſi ſemel neſciens, ideſt, inconſiderate, & præcipiti linguæ motu id fecerit, ſeptem dies Pœnitentiæ in pane, & aqua: ſi ſecundo, vel tertio increpatus id commiſerit, dies quindecim in pane pariter, & aqua pœnitere ſtatuit.

REGULA XXXV.

Quilibet Chriſtianus alterum blaſphemantem audiens, ipſum pro virili corripere, & objurgare tenetur, & Judici Eccleſiaſtico, vel Sæculari denuntiare: gravis alioquin peccati ſilendo reus eſt.

Blaſphemorum correptio, & denuntiatio.

Ita declaravit *Leo X.* cum Lateranenſi Concilio. *Quicunque vero*, inquit, *blaſphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingit; eumque deferre, vel notificare apud Judicem Eccleſiaſticum, ſeu Sæcularem intra triduum debeant. Quod ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audiverint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio.* Id confirmavit *S. Pius V.* Idem ſanxerunt Concilium Mediolanenſe primum, Avenionenſe cap. 58. Toloſanum c. 13. ut prava jurandi, blaſphemandique conſuetudo facilius, aut tollatur, aut minuatur, Sodalitates Nominis Dei ex iis, qui divini cultus ſtudioſiſſimi, Religioniſque amantiſſimi fuerint, hominibus conflatas, inſtitui decreverunt, hiſque Regulas illas, & Indulgentias tribui,

quæ

quæ *Pii IV.* & *Pii V.* Summorum Pontificum Diplomatibus continentur. Iis autem, qui blaſphemos denuntiaverint, decem annorum indulgentiam *Leo X.* conceſſit.

REGULA XXXVI.

Gravis peccati rei ſunt Judices, qui blaſphemos ſecundum Leges non plectunt.

Blaſphemorum punitio.

Si enim rei ſunt perfidiæ in Regem, cum crimen læſæ Majeſtatis diſſimulant, rei ſunt perfidiæ in Deum, cum ipſi irrogatas a blaſphemis contumelias non vindicant. Quam ob rem *Leo X.* cum Lateranenſi Concilio ſtatuit, *Ut Sæculares Judices, qui contra tales blaſphemia convictos non animadverterint, eoſque juſtis pœnis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxii, eiſdem quoque pœnis ſubjiciantur. Qui vero in illis inquirendis, puniendiſque diligentes, & ſeveri fuerint, pro qualibet vice decem annorum Indulgentiam conſequantur, &c.* Id a *S. Pio V.* Concilio Mediolanenſi primo, Toloſano, Avenionenſi, confirmatum. Clerus Gallicanus in Conventu Melodunenſi an. 1579. Judices per Deum ipſum obteſtatur, ut a gravibus pœnis blaſphemos, & temere jurantes plectant, ad flagitia illa e medio tollenda. *Et quoniam*, inquit, *non multo meliores ſunt Hæreticis ipſi blaſphemi, & publice, temere, & impudenter jurantes: utroſque & Paſtores, & Principes, ac Magiſtratus humiliter obſecramus, & per ipſiſſimum Deum obteſtamur, ut utroque gladio, & ſpiritali, hoc eſt Eccleſiaſtico, & materiali, civili ſcilicet, nitantur tam impia ſcelera, & flagitia e medio tollere. Quod ſi vir multum jurans cenſetur repletus, iniquitate, & plaga nuſquam diſceſſura eſt de domo illius; quis non veretur tantam vitiorum cohortem ex eadem radice prodiiſſe, & plagas nuſquam e medio Nationis noſtræ diſceſſuras, niſi ſublata prius temere, & impudenter, ne dicam impune jurandi, & blaſphemandi licentia? Quod ſi in Laicos tam grave piaculum gravi pœna expiandum eſt; in Clericos, ſi quis hujus generis inventi fuerint, graviſſima diluendum eſt, juxta veteres Canones, & Chriſtianiſſimorum Principum Leges, & Conſtitutiones.* Legendæ Conſtitutiones S. Ludovici, Philippi Valeſii, Caroli VII. Ludovici XI. Henrici II. Caroli IX. in Comitiis Aurelianenſibus ar. 23. & Molinenſibus, art. 86. Henrici III. in Comitiis Bleſenſibus art. 35. & 4. Decembris 1581. Ludovici XIII. & Ludovici Magni contra Blaſphemos editæ, & Pariſienſis Supremæ Curiæ Senatus-conſulta, quibus hujus criminis reos, pro blaſphemiarum atrocitate, mulctis pecuniariis, exilio, virgis, ferri candentis in utroque labio inuſtione, & linguæ perforatione, proſcriptione bonorum, mulcta honoraria, ſeu publica veniæ deprecatione ante Eccleſiæ fores, nudis capite, & pedibus, accenſa manibus face, fune e collo pendente, pœna denique capitis ſæpe damnarunt. Conſtitutiones illas Regum Chriſtianiſſimorum, & æquiſſima Senatus conſulta legere eſt Tom. 1. Commentariorum Cleri Gallicani, c. 21.

Sed & *Juſtinianus* Imperator Auth. Collatione 6. Tit. 6. c. 1. blaſphemos ultimo ſupplicio affici jubet. *Quoniam* (inquit) *quidam blaſphema verba, & ſacramenta de Deo jurant. Deum ad iracundiam provocantes: illis injungimus abſtinere ab hujuſmodi, & aliis blaſphemis verbis, & non jurare per capillos, & caput, & his proxima verba. Si enim contra homines facta blaſphemia impunita non relinquuntur, multo magis qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere.... Propter talia delicta, & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt. Et propterea admonemus abſtinere ab hujuſmodi illicitis, ut non ſuas perdant animas.... Præcipimus Præfecto civitatis permanentes in prædictis illicitis, & impiis actibus poſt hanc Admonitionem noſtram comprehendere, & ultimis ſubdere ſuppliciis.*

Denique Legibus Canones conſentiunt, ſeu Reges Canonibus, ut conſtat ex Canone *Si quis*, qui *Pio* Papæ tribuitur; Cauſſa 22. q. 1. cujus hæc ſunt verba: *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alia modo blaſphemia contra Deum uſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico Ordine eſt, deponatur: ſi Laicus, anathematizetur... Si quis autem talem hominem non, manifeſtaverit, non eſt dubium, quin divina condemnatione coerceatur. Sed ſi Epiſcopus iſta emendare neglexerit, acerrime corripiatur.*

CAPUT V.

De Tertio Præcepto Decalogi.

Exod. 29.

PRæclaro ſibi cohærent ordine tria iſta primæ tabulæ præcepta, quæ ad Dei cultum referuntur. Primum enim præceptum interiorem Dei cultum præcipue ſpectat, qui in fide, ſpe, & caritate poſitus eſt. Verum cum ex abundantia cordis os loquatur, & fieri non poſſit, quin lingua animi noſtri interprete id ſignificemus, quod mente ſumus complexi, ſecundum præceptum convenienter ſequitur, quo docemur, quomodo de Deo loqui debeamus. Iam vero tertium, cujus explicationem aggredimur, amborum illorum conſummatio eſt, quo exterior Dei cultus præſcribitur, ac determinatur his verbis: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. Sed diebus operaberis, & facies omnia opera tua, Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum.*

ARTICULUS PRIMUS.

Quis ſit hujus Præcepti ſenſus.

Gen. 29.

SAbbatum, Hebraicum nomen, Latine *ceſſatio* dicitur, ſive *requies*. Idcirco dies ſeptimus Sabbati nomen apud Hebræos obtinuit, quoniam abſoluta, perfectaque Mundi univerſitate, Deus ab omni opere, quod fecerat, requievit. Exod. 35. *Septimus dies erit vobis ſanctus, Sabbatum, & requies Domini.* Poſtea vero non ſolum ſeptimus dies, ſed ob ejus dignitatem ipſa etiam hebdomada eo nomine appellata eſt. Unde Phariſæus Lucæ 18. ajebat, *Jejunio bis in Sabbato.*

II. Initio hujus Præcepti populus ad illius recordationem excitatur hoc verbo, *Memento*; cujus rei tres rationes tradit Concilii Tridentini Catechiſmus. Prima hæc eſt, quia etſi naturæ Lex aliquo tempore Deum Religionis ritu colendum eſſe doceat, hoc tamen, quo potiſſimum die fieri debeat, non præſcribit.

Secunda eſt, quia homines tota hebdomada opus ita facere convenit, ut diem Feſtum ſemper in mente habeant, quo operum ſuorum Deo quodam modo reddere debent rationem: ſic enim ea duntaxat efficient opera, quæ Dei judicio non repudientur, & eo animo, ac modo, quo ipſi grata, & accepta fore confidant.

De ſanctificatione Sabbati.

Tertia eſt, quia defuturæ non erant occaſiones, quibus apud homines carnales hujus præcepti ſurreperet oblivio; nec deſunt etiamnum per quas ab illius obſervantia, quatenus Chriſtianos ſpectat, avocemur, partim aliorum, qui illud negligunt, exemplo, partim ſpectaculorum, ludorumque ſtudio, quibus humana curioſitas, & libido illicitur, ac delectatur. Ideo Deus homines hujus præcepti memores eſſe jubet: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.*

III. Sanctificatio porro Sabbati ceſſatio eſt a corporis laboribus; & negotiis, quod ſignificant hæc præcepti verba, *Non facies omne opus in eo.* Eſt præterea exercitatio in pietatis, & Religionis officiis, quod ſignificat hoc verbum, *Sanctifices.* Verus itaque, ac proprius hujus præcepti ſenſus eo ſpectat, ut homo ſtatuto aliquo tempore a negotiis, corporiſque laboribus feriatus, Deum corpore, & animo pie colat, ac veneretur, Requies igitur ab omni opere ſervili hoc præcepto jubetur, ideſt, ab eo corporali opere, ad quod ſervi, & jumenta adhibentur. Immo illicitum erat Judæis die Sabbati coquere cibos, aut iter agere. *Exod.* 16. Et quia feria ſexta parabantur, quæ vitæ uſui neceſſaria erant in craſtinum, dicebatur illa *Paraſceve*, ideſt, Præparatio. Illicitum etiam erat eis vendere, & emere (2. *Eſdræ* 13. 15.) At prohibitum non erat neceſſitatem corporis ſui, vel aliorum ſublevare, damnum ſubitum avertere, in operibus Dei cultum ſpectantibus occupari. Unde, qui Sabbato comedebat, medebatur homini, pecora adaquabat, ovem, aut jumentum e fovea educebat, Sabbati violator minime cenſendus erat: ſimiliter nec Sacerdotes in Templo iis vacantes operibus, quæ Sacrificia ſpectabant, ut explicat Chriſtus, *Matth.* 12. Nec etiam violati Sabbati rei fuerunt Machabæi ea die bello ſe defendentes. (*Machab.* 11. 43.) Rationem affert Chriſtus, *Marci* 11. 27. Quia *Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum*; id eſt, non ob cæremonias temporales, cultumque externum Religionis conditus eſt homo, ſed illæ in bonum, & ſalutem hominis ſunt inſtitutæ. Quamobrem inter cetera præcepta potiſſimum eſt præceptum caritatis, ad quam velut ad fidem cetera debent referri, & illius etiam intuitu prætermitti, ſi aliqua detur occaſio, ubi cum illo ſimul obſervari non poſſunt. Unde & ipſum ſacrificium miſericordiæ poſtpoſuit Deus Oſee 6. *Miſericordiam volo* (inquit) *& non ſacrificium.* Ideſt, Sacrificium nolo, ſi miſericordiæ, & caritatis opus impediat, quod excellentius omnino, mihique gratius ſacrificium eſt.

IV. Certus dies divino cultui dicatus eſt, quia rudi Populo minus expediebat habere facultatem temporis arbitratu ſuo eligendi, ne forte Ægyptiorum Sacra imitaretur eorumque ſuperſtitionibus ſe contaminarent. Dies autem ſeptimus ad Deum colendum inſtitutus eſt ad Myſterii unius ſignificationem. Unde Dominus Exodi 35. Signum vocat: *Videte* (inquit) *ut Sabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris, ut ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos.*

Et Ezech. 20. 12. *Inſuper & Sabbata mea dedi eis, ut eſſent ſignum inter me, & eos; ſcirent, quia ego Dominus ſanctificans eos.* Signum autem fuit in primis, quo homines Deo ſe dedicare debebat, cum dies etiam illi dicatus ſit, qui Sanctus appellatur, quia tum præcipue ſanctitatem, & religionem colere hominibus incumbit. Secundo, ſignum eſt, & quaſi monumentum conditæ a Deo uni-

verſitatis. Exod. 31. 17. *Pactum eſt ſempiternum inter me, & filios Iſrael, ſignumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & in ſeptimo ab opere ceſſavit.* Tertio, ſignum fuit Iſraelitarum memoriæ commendatum, quo admoniti, ſe Dei beneficio ſingulari ex duriſſimo ſervitutis Ægyptiacæ jugo liberatos meminiſſent, & Liberatori ſuo gratias agerent immortales. Deut. 5. 15. *Memento* (inquit Dominus) *quod & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbati.*

ARTICULUS II.

Utrum Præceptum de Sanctificatione Sabbati Chriſtianos etiam ſpectet.

EST in hoc Præcepto quiddam, quod ad cæremoniam; eſt, quod ad mores pertineat. Quod ſeptimus dies quieti, & vacationi a ſervilibus operibus aſſignatus fuit, erat cœremonia; quod autem in contemplandis Dei beneficiis, in hymnis, precationibus, ſacrificiis, aliiſque pietatis operibus dies ille conſumebatur, morale fuit. Sublata cœremonia, remanſit quod ad mores pertinet. Id enim diſcriminis inter iſtud præceptum, & reliqua Decalogi præcepta intercedere, Concilii Tridentini Catechiſmus obſervat, quod illa naturalia ſint, & perpetua, neque mutari ulla ratione poſſint; unde populum Chriſtianum non minus ſpectant, quam Iſraeliticum: quamvis illa Chriſtiani obſervent, non quia Lege Moſaica tradita ſunt, ſed quia naturæ Lege omnium animis inſcripta ad illorum obſervantiam impelluntur. Hoc autem de cultu Sabbati præceptum, ſi ſtatutum tempus ſpectetur, non fixum, & conſtans eſt, ſed mutabile; neque ad mores, ſed ad cæremonias pertinet: neque naturale eſt, quoniam non a natura id edocti, aut inſtituti ſumus, ut illo die potius quam alio externo cultum Deo tribuamus: ſed ex eo tempore, quo Populus Iſrael a ſervitute Pharaonis liberatus eſt, diem Sabbati colere cæpit. Cultus autem ille temporarius erat, ut reliquæ Legis cæremoniæ, quæ figuræ erant, & quaſi adumbratæ imagines lucis, & veritatis, quæ eſt Chriſtus Jeſus: cujus adventu, & morte antiquandæ erant, & abrogandæ. Hinc S. Paulus ad Galatas ſcribens, Moſaici Ritus cultores, & Judaicarum Feriarum obſervatores his verbis reprehendit: *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos: timeo vos, ne forte ſine cauſſa laboraverim in vobis.* Aliquod tamen habet tertium iſtud præceptum, quod ad mores, naturæque jus attineat. Nam Dei cultus, ac Religio, quæ hoc præcepto exprimitur, naturæ jure exiſtit: cum illud naturæ lex, quæ apud homines univerſos una eſt, poſtulet, ac præſcribat, ut aliqua temporis parte in his, quæ ad Dei cultum pertinent, verſemur: & quemadmodum curando corpori, ſic menti in Dei contemplatione reficiendæ aliquid etiam temporis tribuamus. Unde apud Nationes omnes ſtatas quaſdam ferias, eaſque publicas fuiſſe nemo neſcit, quæ ſacris rebus, ac divinis obeundis erant conſecratæ.

Gal. 4.

Cæremonialis Sabbati celebratio ſolos Judæos ſpectabat.

Externi itaque, litteralis, & cæremonialis Sabbati obſervantia Judæos duntaxat ſpectabat: ſed ſpirituale, & cæleſte Sabbatum ad Chriſtianos etiam pertinet. „Spirituale autem „Sabbatum, (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) in „ſancta quadam, & myſtica quiete conſiſtit; nimirum cum „vetus homo Chriſto conſepultus ad vitam renovatur, at„que in actionibus, quæ Chriſtianæ pietati conveniunt, „ſtudioſe ſe exercet. Debent enim, qui aliquando erant te„nebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambu„lare, in omni bonitate, & juſtitia, & veritate, neque „communicare operibus infructuoſis tenebrarum. Spiritale „itaque Sabbatum celebrat homo, cum a pravis ſuis ope„ribus quieſcit.“ Unde S. Paulus ſcribit ad *Hebræos* 4. c. *Qui ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut & a ſuis Deus.* Quies illa peccatoris eſt quies Dei; tum quia Dei quietem in ſe ipſo poſt opera ſex dierum quieſcentis imitatur: tum quia Dei donum eſt, qui gratiam deinceps non peccandi largitur. *Non peccare* enim *ſanctificationis eſt, ideſt, muneris Dei per Sp. Sanctum* (inquit *S. Aug.* Lib. *De Spiritu, & Littera*, c. 16. Spirituale Sabbatum celebrant Juſti, cum Dei cultui, pietatiſque operibus vacantes, omnia opera ſua ad Dei gloriam referunt, illius potius eſſe agnoſcentes, quam ſua: *Creati* (inquit) *in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Sic enim in Deo, non in ſe ipſis requieſcunt. Sic Deum imitantur, qui *Semper agens, & ſemper quietus* eſt, ut *S. Aug.* ait Lib. 1. *Confeſſionum* c. 4. Semper agunt, quia in bonis operibus jugiter ſe exercent, & Deum ſtudent promereri: ſemper quieſcunt, quia inter mundanas varietates ibi fixa ſunt illorum corda, ubi vera ſunt gaudia. Semper agunt, quia progrediuntur de virtute in virtutem, donec videant Deum in Sion: ſemper quieſcunt, quia converſatio eorum in cœlis eſt, ubi Deus nos a morte peccati per gratiam ſuam ſuſcitatos *conſedere fecit in Chriſto Jeſu*, ut loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 2. Creaturas itaque nonniſi *tranſitoria*, & ad Deum ordinata, Deum ſolum *manſoria dilectione* proſequuti, ad cæleſte Sabbatum feſtinant, quæ eſt illa vita, qua omnibus bonis cum Chriſto viventes fruemur, peccato; & cupiditatibus omnibus radicitus extirpatis, ſecundum illud Iſaiæ 35. *Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam... Sed via ſancta vocabitur... Et redempti a Domino venient in Sion cum laude: & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.* De cœleſti illo Sabbato Apoſtolus ſcribit ad Hebr. 4. *Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe... Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab inſtitutione Mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic: Et requievit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis. Et in iſto rurſum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & ii, quibus prioribus annuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quendam, Hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis ſicut ſupra dictum eſt; Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Nam ſi eis Jeſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſthac die. Itaque relinquitur Sabbatiſmus Populo Dei; Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem.*

Spirituale Sabbatum juſtorum.

Epheſ. 2. 10.

De ſanctificatione Sabbati.

Pſ. 41. 11.

Nobis quidem nulla die, nulla hora, nullo temporis momento vacandum non eſſet divinorum beneficiorum contemplationi, ad quam ipſe nos invitat, dicens: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus*; Vacate a curis, & ſæculi negotiis, & in ſancto otio, & quiete videte, quod ego ſum, qui creavi vos; Ego ſum, qui, ne cum vitio veſtro periiſſetis, Filio meo pro vobis morti tradito, denuo per eum vos quaſi creavi, ut ſitis nova in Chriſto creatura: & ſicut portaſtis quondam imaginem terreni, ita nunc portetis imaginem cœleſtis hominis, neque jam ſitis deinceps Adæ filii, ſed Dei, fratres autem, & cohæredes Chriſti. Hæc tanta beneficia recogitate: mihique uni, cui omnia debetis, ex toto corde diligendo, colendo vacate. Quod igitur a nobis exigit ipſe Dominus, qui nos etiam laborantes, & onerantes ad ſe venire jubet, quod in eo ſimus animabus noſtris requiem inventuri, hoc nobis ſemper faciendum eſſet. Ceterum tale Sabbatum celebrare, ſic totos Dei, & beneficiorum ejus contemplationi vacare, non eſt hujus ſæculi, non eſt hujus corporis, quod corrumpitur, quod aggravat animam, quod deprimit ſenſum ea, quæ ſurſum ſunt, cogitare volentem. Sabbatiſmus hic, ſive requies, non eſt hujus peregrinationis, ſed cœleſtis erit illius patriæ, manentiſque civitatis, quam futuram inquirimus, ubi vacabimus, & videbimus, amabimus, & laudabimus abſque ullo faſtidio, abſque ulla defatigatione, eum, qui deſideriorum noſtrorum omnium finis eſt, Dominum Deum noſtrum, qui erit omnia in omnibus, & inter eos numerabimur, de quibus dicitur Pſalm. 38. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Perpetuum illud Sabbatum demonſtratur potius nobis, ut ad illud ardentiſſime ſuſpiremus, & ferventiſſime tendamus. quam in præſenti præcipiatur, ut obſervemus. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem*; & ſi quidem nondum cœleſte illud, ſpirituale certe Sabbatum obſervemus, de quo *S. Aug.* præclare ſcribit, Epiſtola 55. alias 119. ad *Januarium*, cap. 9. 10. & 12.

Ineffabilis tranquillitas actionis otioſæ.

Quod nunc fide; ac ſpe gerimus, atque ut ad id perveniamus, dilectione ſatagimus, requies eſt quadam ab omni labore omnium moleſtiarum ſancta, atque perpetua; in eam nobis ex hac vita fit tranſitus, quem Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſua Paſſione præmonſtrare, ac conſecrare dignatus eſt. Ineſt autem in illa requie non deſidioſa ſegnitia, ſed quadam ineffabilis tranquillitas actionis otioſæ. Scio enim quod ab hujus vitæ operibus in fine requieſcitur, ut in alterius vitæ actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur, ſine labore membrorum, ſine angore curarum, non ad eam ſic tranſitur per quietem, ut ipſi labor ſuccedat, ideſt, non ſic eſſe actio incipit, ut eſſe deſinat quies: neque enim reditur ab labores, & curas; ſed permanetur in actione, quod ad quietem pertinet, nec in opere laborare, nec in cogitatione fluctuare. Quia ergo per requiem ad primam vitam reditur, unde anima lapſa eſt in peccatum, propterea Sabbato requies ſignificatur. Hæc quidem ille de Sabbato cœleſti, & ſempiterno.

De ſanctificatione Sabbati.

De ſpirituali vero Sabbato paullo poſt ſic loquitur: *Sabbatum tamen commendatum eſt priori Paulo in otio corporaliter celebrandum, ut figura eſſet ſanctificationis in requie Spirit. Sancti. Nuſquam enim legimus in geneſi ſanctificationem per omnes priores dies, ſed de ſolo Sabbato dictum eſt; Et* ſanctificavit Deus diem ſeptimum. *Amant enim requiem ſive pia anima, ſive iniqua; ſed qua perveniant ad illud quod amant, plurimæ neſciunt; nec aliquid appetunt etiam ipſa corpora ponderibus ſuis, niſi quod anima amoribus ſuis. Nam ſicut corpus tamdiu nititur pondere, ſive deorſum verſus, ſive ſurſum verſus, donec ad locum, quo nititur, veniens conquieſcat... ſic animæ ad ea, quæ amant, propterea nituntur, ut perveniendo requieſcant. Et multa quidem per corpus delectant, ſed non eſt in eis æterna requies, nec ſaltem diuturna, & propterea magis ſordidant animam, & aggravant potius, ut ſincerum ejus pondus, quo in ſuperna fertur, impediant. Cum ergo anima ſeipſa delectatur, nondum re incommutabili de-*

Animæ delectatio, & quies in Deo.

li de-

li delectatur, & ideo adhuc ſuperba eſt, quia ſe pro ſummo Jacob. 4. *habet, cum ſuperior ſit Deus. Nec in tali peccato impunita relinquitur, quia* Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Cum autem Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. Proinde admonetur in Pſalmo,* Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. (Pſalm. 3.)

Rom. 5. *Quia ergo* Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, *ideo ſanctificatio in ſeptimo die commemorata eſt, ubi requies commendatur. Quia vero nec bene operari poſſumus, niſi dono ejus adjuti, ſicut dicit Apoſtolus.* Philip. 2. Deus enim eſt, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate: *nec requieſcere poterimus poſt omnia bona opera noſtra, quæ in hac vita gerimus, niſi ejus dono ad æternitatem ſanctificati, atque perfecti: propterea de ipſo Deo dicitur, quia* Cum feciſſet omnia Gen. 1. & opera valde bona, ſeptimo die requievit ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit. *Futuram enim requiem ſignificabat, quam poſt bona opera daturus erat nobis hominibus. Sicut enim cum bene operamur, ipſe dicitur operari in nobis, cujus munere bene operamur: ita cum requieſcimus, ipſe requieſcere dicitur, quo donante requieſcimus.*

Hinc eſt, quod in tribus primis præcepti Decalogi, quæ ad Deum pertinent, tertium ibi de obſervatione Sabbati poſitum eſt, ut in primo præcepto Patrem intelligamus, ubi prohibetur coli in figmentis hominum aliqua Dei ſimilitudo: non quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla imago ejus coli debet, niſi illa quæ hoc eſt, quod ipſe, nec ipſa pro illo, Rom. 8. *ſed cum illo. Et quia creatura mutabilis eſt, & propterea dicitur.* Omnis creatura vanitati ſubjecta, *quoniam natura Univerſi etiam in parte monſtratur; ne quiſquam Filium Dei Verbum, per quod facta ſunt omnia, putaret eſſe creaturam, ſequitur aliud præceptum,* Non accipies in vanum nomen Exod. 20. Domini Dei tui. *Spiritus autem Sanctus, in quo nobis illa requies tribuitur, quam ubique amamus, ſed niſi Deum amando non invenimus, cum Caritas ejus diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, quia ſanctificavit Deus diem ſeptimum, in quo requievit, tertio præcepto Legis inſinuatur, quod ſcriptum eſt de obſervatione Sabbati; non ut jam in iſta vita nos quieſcere exiſtimemus, ſed ut omnia, quæ bene operamur, non habeant intentionem, niſi in futuram requiem ſempiternam.*

Ad ipſum autem ignem amoris nutriendum, & flandum quodammodo, quo tanquam pondere ſurſum, vel introrſum referamur ad requiem, iſta omnia pertinent, quæ nobis figurate inſinuantur... Ideoque inter omnia illa decem præcepta ſolum ibi, quod de Sabbato poſitum eſt, figurate obſervandum præcipitur; quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam ſuſcepimus. Cum enim Sabbato ſignificetur ſpiritalis requies, de qua dictum eſt in Pſalmo, Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus: *& quo vocantur homines ab ipſo Domino dicente;* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam: tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris: *Cetera tamen ibi præcepta proprie ſicut præcepta ſunt, ſine ulla figurata ſignificatione obſervamus. Nam & idola non colere manifeſte dicimus; & non accipere in vanum nomen Domini Dei noſtri, & honorare patrem, & matrem, & non mœchari, non occidere, non furari, non falſum teſtimonium dicere, non concupiſcere uxorem proximi, non concupiſcere ullam rem proximi, non figurate aliud prætendunt, & myſtice aliud ſignificant; ſed ſic obſervantur ut ſonant. Obſervare tamen diem Sabbati non ad litteram jubemur, ſecundum otium ab opere corporali, ſicut obſervant Judæi: & ipſa eorum obſervatio, quia præcepta eſt, niſi aliam quandam ſpiritalem requiem ſignificet, reddenda judicatur. Unde non inconvenienter intelligimus, ad amorem excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia, quæ figurate in Scripturis dicuntur: quandoquidem id ſolum in Decalogo figurate præcipitur, ubi requies commendatur, quæ ubique amatur, ſed in ſolo Deo certa, & ſancta invenitur,* Idem tractat argumentum L. 4. *De Geneſi ad litteram*, c. 11. & ſeq.

De ſanctificatione Sabbati.

Pſ. 45.
Matth. 11.

Ad amorem excitandum quo ad requiem tendimus, quæ in ſolo Deo certa invenitur, valet præceptum typicum de obſervando Sabbato.

Judæi carnaliter Sabbatum obſervabant, ſignis duntaxat, non rebus ſignificatis inhærentes; & Sabbato non ad quietem animi in Deo comparandam, ſed ad externam tantum, & corporalem quietem abuſi. Unde illorum Sabbata ſe odiſſe Dominus ait Iſaiæ 1. *Neomeniam* (inquit) *& Sabbatum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: Calendas veſtras, & Sollemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens. Et cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere.* In ceſſatione igitur a peccatis, & in bonis operibus, vera, & Deo grata Sabbati obſervatio appoſita erat, ut rurſus docet Dominus Iſaiæ 58. *Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaveris Sabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua ut loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Hinc S. *Jo: Chryſoſtomus* Hom. 1. *De Lazaro*: ait: *Judæi putant ſibi Sabbatum otii gratia fuiſſe datum. Verum non iſta eſt cauſſa, ſed potius ut abducti a curis rerum temporalium, otium omne conſumerent in ſpiritualibus. Quod enim Sabbatum non otii, ſed ſpiritualis actionis materia ſit, dilucidum eſt ex ipſis rebus. Nam Sacerdos ea die duplum facit operis. Qui quotidie nonniſi unicam hoſtiam offerre ſolitus, Sabbato jubetur offerre geminam. Quod ſi prorſus eſſet otii dies, oportebat Sacerdotem omnium maxime otium agere. Quoniam igitur Judæi corporalium rerum curis liberati non vacabant ſpiritualibus, ut puta ſobrietati, modeſtiæ, & audiendis divinis ſermonibus, ſed e contrario ſervientes ventri, indulgentes ebrietati, diſtenti cibis, deliciantes, audi quomodo eos reprehendat Propheta, &c.* Chriſtiani vero non ſignis, ſed rebus ſignificationis inhærentes; nec tempora obſervantes, ſed quæ illis ſignificantur temporibus, ſpiritale præſertim Sabbatum obſervant illis diebus, qui non jam Divino Jure, ſed Eccleſiæ inſtitutione ac lege, divino cultui ſunt conſecrati. His ſcilicet diebus vi tertii Præcepti ſe adſtrictos eſſe norunt, ut a ſæculi curis, profaniſque operibus liberi, toti divino cultui vacent, hoc eſt, orent ardentius, & copioſius, de reformandis ſuis, & ſuorum moribus ſerio cogitent; ſeque ſuamque familiam ad Dei laudem, ad divinum verbum audiendum, ad piorum librorum lectionem, & ad alia pietatis, & caritatis opera incitent, ac provocent.

De Feſtis.

ARTICULUS III.

Cur Sabbati celebritas in Dominicam Diem tranſlata ſit.

Cum ipſo naturæ jure aliqua temporis pars eſſe debeat, quo res divinæ colantur, cultuſque Deo debitus tribuatur, & eatenus præceptum de ſanctificatione Sabbati ad mores pertineat, Apoſtoli ex ſeptem hebdomadæ diebus, eum qui primus eſt, divino cultui conſecrarunt, quem Dominicum diem dixere, cum dies Solis ab Ethnicis diceretur. Diei Dominicæ meminit S. *Joannes* Apocalypſi 1. Apoſtolus 1. *Cor.* 16. Collectas ad ſublevandos pauperes Chriſtianos *Per unam Sabbati* fieri jubet, ideſt prima hebdomadæ die, qua ſcilicet ſacri conventus Chriſtianorum fiebant in ipſis Eccleſiæ exordiis, *Ad frangendum panem*, ideſt, ad Corpus Chriſti ſumendum, ut teſtatur S. Lucas *Act.* 20. Legatur *S. Juſtinus* Apologia 2.

Mutatio autem facta eſt diei Sabbati in Dominicam diem, primo, quia eo die Mundi creatio initium habuit. Secundo, quia eo die Chriſtus reſurrexit ad vitam immortalem, & Judaico Sabbato abrogato, Sabbatum Evangelicum, quod Scriptura Sacra juge appellat, nobis commendavit; ideoque is dies *Dominicus* dicitur, de quo Eccleſia canit: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Tertio, quia ea die Spiritus Sanctus Apoſtolis datus eſt. Quarto ne quid Chriſtiani cum Judæis commune habere viderentur. Has rationes ex parte profert *S. Juſtinus* loco mox indicato, omneſque pene colligit *S. Leo* Epiſt. 11. alias 81. ad *Dioſcorum* Alexandrinum Epiſcopum, cap. 1. ubi hac die, quam *Diem Reſurrectionis Dominicæ* vocat, Sacras Ordinationes celebrandas docet, *Quæ tantis divinarum diſpoſitionum Myſteriis eſt conſecrata, ut quicquid eſt a Domino inſignius conſtitutum, in hujus diei dignitate ſit geſtum. In hac Mundus ſumpſit exordium. In hac per Reſurrectionem Chriſti, & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus Gentibus Evangelii tubam ſumunt, & inferendum univerſo Mundo Sacramentum Regenerationis accipiunt. In hac, ſicut B. Jo: Evangeliſta teſtatur, congregatis in unum Diſcipulis, januis clauſis, cum ad eos Dominus introiſſet, inſufflavit, & dixit:* Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt *In hac denique promiſſus a Domino Apoſtolis Spiritus Sanctus advenit: ut cœleſti quadam regula inſinuatum, & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis eſſe Myſteria Sacerdotalium Benedictionum, in quo collata ſunt omnia dona gratiarum.* Dominicam Diem ob eaſdem rationes divino cultui ab Apoſtolis conſecratam confirmat Concilium Pariſienſe 6. Lib. 1. Canone quinquageſimo. Addit, eo die Manna Judæis pluere cœpiſſe, ut a quibuſdam Doctoribus traditur; ſcilicet, non Sabbato Judæorum, ſed Chriſtianorum Sollemnitate, ſeu die, quem fecit Dominus, gratia Dei, paniſque cœleſtis ad homines deſcendit, ut obſervat *Origenes*, Hom. 7. in *Exodum*.

Sabbati in Dominicam diem mutatio.

Joan. 20.

ARTICULUS IV.

De Feſtorum dierum Obſervatione.

Sicut Populus Judæus præter Sabbatum alios etiam feſtos, & ſacros dies habuit Divina Lege conſtitutos, quibus Maximorum Beneficiorum memoriam renovabatur: ita Chriſtianus Populus alios præter Dominicam dies feſtos, & ſollemnes habet ab Apoſtolis in ipſo Eccleſiæ exordio, & conſecutis deinde temporibus ab Apoſtolorum Succeſſoribus inſtitutos, ut pie, & ſancte beneficiorum Dei memoriam colamus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob Religionis noſtræ Myſteria Religioni conſecrati ſunt, ſcilicet Paſchatis, ſeu Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis Dominicæ, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Chriſti, Natalis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ. Deinde qui Sanctiſſimæ Virgini *Mariæ*, Dei Matri: tum qui Apoſtolis, & Martyribus, ceteriſque Sanctis cum Chriſto regnantibus, ſeu potius Deo in illorum memoriam dicantur: in quibus Deo gratiæ aguntur ob dona illis collata; Dei bonitas, & potentia laudatur, cujus munere hunc Mundum cum omnibus ſuis erroribus, amoribus, & terroribus vicerunt; de Hoſte humani generis mirabiliter triumpharunt; & depoſitis mortalitatis exuviis felicius in cœlis ad vitam immortalem ſunt renati. Unde dies, quo obierunt, *Natalis* illorum Eccleſiaſtico loquendi more appellatur. Ipſis debiti honores illis diebus tribuuntur, dum in divinis Officiis, & ad Altare Domini memoria eorum agitur, & laudatur Deus in Sanctis ſuis: ad eorum denique imitationem fidelis Populus incitatur, quoniam *Sollemnitates Martyrum, exhortationes ſunt Martyriorum*, (inquit *S. Auguſt.*)

De Feſtis.

Ad quos pertineat feſtorum dierum inſtitutio.

Feſtorum dierum inſtitutio Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus a Chriſto conceſſa, ſed præſertim S. Petri in Eccleſiæ univerſæ regimine Succeſſoribus Romanis Pontificibus & Generalibus Conciliis, quorum auctoritate Feſti dies toti Eccleſiæ præſcribi poſſunt; cum a ceteris Epiſcopis in eorum duntaxat Diœceſibus, a Conciliis Provincialibus, & Nationalibus in Provinciis, & Regnis, ex quibus congregata ſunt, inſtituti valeant. Sic dies Feſtos Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes, Apoſtolos inſtituiſſe non dubitamus, de quibus *S. Aug.* Epiſt. 54. alias 118. ad *Januarium*, c. 1. *Illa autem*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur; datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel a Plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri, ſicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniverſaria ſollemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrit, quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit Eccleſia.* Feſtum diem Natalis Domini *S. Auguſtinus* Epiſtola ſequenti commemorat, & ad eundem anni diem ſemper redire teſtatur. Conſtitutionum Apoſtolicarum Lib. 8. cap. 33. Feſtum Epiphaniæ, Feſti dies Apoſtolorum, S. Stephani Protomartyris, aliorum etiam SS. Martyrum notantur.

Feſti quidam dies ab Apoſtolis inſtituti.

Natales Martyrum dies primis Eccleſiæ ſæculis celebres.

Natales Martyrum dies primis Eccleſiæ Sæculis celebres extitiſſe, Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſtola de Martyrio *S. Polycarpi*, apud *Euſebium* Lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 15. teſtatur. *Oſſa illius*, inquiunt, *gemmis pretioſiſſimis, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, ſi fieri poterit, convenientibus, concedat Deus Natalem ipſius Martyris diem cum hilaritate, & gaudio celebrare; tum in memoria eorum; qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros hujuſmodi exemplo inſtruendos, & confirmandos.*

Paſſiones, & dies Martyrum anniverſaria commemoratione celebrari, *S. Cyprianus* teſtatur Ep. 34. & dies, quibus excedunt, annotari jubet, Ep. 37. *Ut commemorationes eorum*, inquit, *inter Memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quanquam Tertullus fideliſſimus, & devotiſſimus frater noſter ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic a nobis Oblationes, & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus.* De *Conſtantino* Imperatore ſcribit *Euſebius* in ejus Vita, L. 4. miſſam ab eo Legem ad Præſidem Provinciarum. *Ut diem Dominicam etiam ipſi venerarentur*, eoſdemque Feſtos *Martyrum dies* juſſu Principis, obſervaſſe, & *Eccleſiaſticarum Feſtivitatum tempora* honore debito fuiſſe proſecutos. Martyrum Natalia Quadrageſimali tempeſtate celebrari prohibuit Synodus Laodicena, can. 51. eorumque memorias Sabbatis tantum, & Dominicis eo tempore celebrari permiſit. S. Jo: Chryſoſtomi Homiliæ, S. Auguſtini, & S. Leonis Sermones, Monumenta ſunt certiſſima, ex quibus Feſtos dies Myſteriis Domini, & Victoriis Martyrum commemorandis, & celebrandis conſecratos fuiſſe conſtat.

Idem confirmat vetus Kalendarium Carthaginenſis Eccleſiæ, quo non ſolum primaria hæc Africæ Sedes, ſed tota quanta fuit ipſa Eccleſia uſa eſt ante annos fere mille ducentos editum a Domino *Mabillonio* Tomo 3. *Veterum Analectorum*. In eo præter Natale Domini, & Feſta Apoſtolorum *Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Lucæ Evangeliſtæ*, Nativitatem *S. Jo: Baptiſtæ*, Feſtum *SS. Innocentium*, *S. Stephani*, *S. Laurentii*, *SS. Machabæorum*, *SS. Gervaſii, & Protaſii*, & plurimorum Martyrum, qui Africanam Eccleſiam illuſtrarunt, Feſta etiam SS. Epiſcoporum Africanorum *Grati*, *Genetlii*, *Aurelii*, *Capreoli*, *Reſtituti*, *Auguſtini*, *Quodvultdei*, *Deogratias*, & *Eugenii* adſcribuntur.

Anno 511.

Conc. Agathenſe anno ſexto ſupra quingenteſimum, can. 22. de Feſtorum religioſa celebratione ita ſanxit: *Si quis extra Parochias, in quibus legitimus eſt, ordinariuſque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis Feſtivitatibus; ut ibi Miſſas teneat, propter fatigationem familiæ, juſta ordinatione permittimus. Paſcha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten, & Natalem S. Jo: Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in Feſtivitatibus habeantur, nonniſi in civitatibus, aut Parochiis teneant. Clerici vero, ſi qui in Feſtivitatibus, quas ſupra diximus, in Oratoriis, niſi jubente Epiſcopo, Miſſas facere, aut tenere voluerint, a Communione pellantur.*

De Religioſo Feſtorum cultu non abſimilia Decreta ediderunt Conc. Aurelianenſe 1. Can. 25. & 17. Turonenſe 2. anno 567. Can. 17. 18. & 22. Circumciſionis Feſti S. Martini, & Cathedræ S. Petri mentionem faciens. Cabilonenſe anno 650. Can. 19. *Childebertus* Rex Chriſtianiſſimus in Conſtitutione *De abolendis reliquiis Idololatriæ, & Sacrorum dierum Feſtivitatibus caſte celebrandis*.

Concilium Moguntinum anno 813. celebratum, can. 36. Feſtos dies per annum celebrandos ſtatuit, ſcilicet, *Diem Dominicam Paſchæ*, cum tota hebdomada Paſchali; *Diem Aſcenſionis*, *Pentecoſten*, cum tota pariter hebdomada; *Natale Apoſtolorum Petri & Pauli*, *Nativitatem S. Jo: Baptiſtæ*, *Aſſumptionem Beatæ Mariæ*, *Dedicationem S. Michaelis*, *Natale S. Remigii*, *S. Martini*, *S. Andreæ*. *In Natali Domini dies quatuor; Octavas Domini*, ideſt, *Circumciſionem*, *Epiphaniam Domini*, *Purificationem S. Mariæ*, *& illas Feſtivitates Martyrum, vel Confeſſorum, quorum in unaquaque Parochia ſancta corpora requieſcunt; ſimiliter etiam Dedicationem Templi*. His adde Indiculos Feſtivitatum L. 1. *Capitularium*, c. 169. & L. 6. c. 186. deſcriptos; *Gerardi* Turonenſis Archiepiſcopi Capitulare c. 61. capitulare *Ahytonis* Baſileenſis Epiſcopi c. 8. Tom. 6. *Spicilegii* editum, Reſponſum *Nicolai I.* ad Conſulta Bulgarorum c. 11. *Photii* Nomocanonem tit. 7. c. 1. Conc. Salegunſtadienſe anno vigeſimo ſecundo ſupra milleſimum, can. 1. *Gregorii IX.* Decretum c. *Conqueſtus*, Ext. *De Feriis*, ubi judicialem ſtrepitum conquieſcere jubet diebus Feſtis *Natalis Domini*, *S. Stephani*, *Joannis Evangeliſtæ*, *Innocentium*, *S. Sylveſtri*, *Circumciſionis*, *Epiphaniæ*, *ſeptem diebus Dominicæ Paſſionis*, *Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus*, *Aſcenſionis*, *Pentecoſtes cum duobus, qui ſequuntur*, *Nativitatis S. Jo: Baptiſtæ*, *Feſtivitatum omnium Virginis glorioſæ*, *duodecim Apoſtolorum*, *& præcipue Petri, & Pauli*, *B. Laurentii*, *Dedicationis B. Michaelis*, *Sollemnitatis omnium Sanctorum*, *ac diebus Dominicis*, *ceteriſque Sollemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus cum Clero, & Populo duxerint ſollemniter venerandas*. Hanc *Gregorii IX.* Conſtitutionem confirmavit *Urbani VIII.* Conſtitutio, quæ incipit, *Univerſa*, edita anno 1642. Conc. tandem Trid. ſeſſ. 25. c. 12. ſtatuit, *Ut dies feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit, ab Exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſerventur.*

ARTICULUS V.

De Jejuniis Eccleſiaſticis.

§. I. Quid ſit Jejunium: Quis ejus finis: Quæ utilitas.

Definitio Jejunii.
De Jejuniis.

Jejunium Eccleſiaſticum eſt *Abſtinentia a certo ciborum genere, pluribuſque refectionibus, ſecundum modum ab Eccleſia inſtitutum, & propter finem pietati congruentem.* Quoniam vero Feſtis Jejunia ex Eccleſiæ inſtituto præmittuntur, congrue hic de jejunio agemus.

Finis jejunii.

Finis jejunii eſt carnis mortificatio, & concupiſcentiæ compreſſio; mentis ad rerum divinarum contemplationem, & ad orationem purgatio, atque præparatio; ſatisfactio pro peccatis, & beneficiorum divinorum impetratio. Jejunium aſſumitur, vel indicitur ad carnem domandam, & ad frænandam concupiſcentiam, ut qui ſunt Chriſti, *carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis* crucifigant, corpuſque ſuum *in ſervitutem* redigant: quo pertinet illud Apoſtoli 2. ad Cor. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate.* Secundo, aſſumi poteſt, vel indici ad mentis purgationem, ut a terrenæ concretionis labe defœcata, ad rerum divinarum contemplationem magis idonea ſit. Hoc animo *Moyſes*, *Elias*, *Daniel* jejunarunt, ut Sacris Litteris proditum eſt. Hoc animo jejunium aſſumunt, qui jejunant, ut liberius, purius, ac devotius orent. Quo ſenſu Tobiæ 12. dicitur; *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna:* vel ut Dæmones pellant, victoriamque de illorum tentationibus donante Deo reportent. Unde Chriſtus *Matth.* 20. ait; *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem, & jejunium*: vel ad Deum promerendum, & colendum, quemadmodum Anna Propheti[ſſ]a *Non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte, & die*, ut refertur Lucæ cap. 2. Eoque pertinet etiam, quod in Actibus Apoſtolorum, cap. 13. narratur: *Miniſtrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.* Aſſumi tandem poteſt jejunium ad Deum placandum, & ad ſatisfaciendum pro peccatis in ejus Majeſtatem commiſſis, atque ad ejus beneficia impetranda. Joel 2. *Convertimini ad me* (inquit Deus) *in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & planctu.* Jonæ 3. *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis a majore uſque ad minorem.* Ammonitis, Moabitis, ac Syris congregatis, ut pugnarent contra *Joſaphat*, illumque, ac Judaicum Populum opprimerent, Rex

Gal. 5.
1. Cor. 9.

Exod. 23. & 34.
3. Reg. 19.
Dan. 9. & 19.